1593

Duplic. ob 77. F: 23
at in hoc exemplari paginae versae chartae 65 inest
nota ms.

68
13 C
34
77 F 22
7.7.E.69
5.20.D.18.

IACOBI BRACELLII GENVENSIS

DE BELLO HISPANIENSI LIBRI QVINQVE.

Eiuſdem

De claris Genuenſibus libellus.

Oræ Liguſticæ deſcriptio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,

Apud Heredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales. M. D. LXXIII.

IO. BAPTISTAE BRACELLIO
EPISCOPO SARZANAE
BARTHOLOMAEVS GORLAS. D.

QVOD mihi ſuperiore anno Roma diſcedens iuſſiſti, Antiſtes ampliſſime, vt ſcilicet Iacobi Bracellij proaui tui libros, quos de bello aduerſus Alfonſum citerioris Hiſpaniæ Regem a Genuenſibus præclare, feliciterque geſto prope centum viginti ab hinc annos latine conſcripſit, quoſque tu nouis typis excudi iam cœptos inchoatos reliqueras, quamprimum abſoluendos curarem; id quam diligentiſſime vt perficerentur effeci. Magnopere enim me ſemper permouit iſte tuus erga maiores tuos, erga literatos omnes, erga etiam patriam ipſam amor incredibilis; quo quidem, cum de hac re mecum loquerere (ſæpiſſime autem loquebaris) adduci te, vel potius cogi aiebas ad maturandam horum librorum editionem: quin etiam vereri, ne tua culpa factum exiſtimaretur, vt tam præclara hiſtoria ob exemplarium paucitatem raro admodũ appareret. Prudenter iſtud ſanè, ac piè. Cum enim exemplaria illa, quibus primò commendata fuerat, atque impreſſa, vel legentium aſſiduitate [illegible]rita, vel vetuſtate conſumpta iam pene omnia defeciſſent, & quaſi euanuiſſent; efflagitari a te imo quidem poſſe videbatur, vt omnẽ curam, ſtudium, ac diligentiam adhiberes, ne hæc hiſtoria tam egregiè ſcripta penitus interiret. Nam qui ex tuis ob literarum ſtudia, in quibus excellebant, eam curã ſuſcipere debuiſſet, auus tuus Antonius, Stephanusq; eius frater Iacobi filij, & natus Antonio Gaſpar; quorũ primus, qui Mediolani Senator fuit, optimus ſuorum temporũ orator, & iuriſconſultus habitus eſt; alter in primis latinis literis eruditus, liberaliq; doctrina perpolitus fuiſſe dicitur; poſtremũ ego iam ſenẽ adoleſcens ob eximiã eius virtutem, prudentiam, ſapientiam, multiplicemque rerum cognitionem, & doctrinam ad ſummum reipublicæ Genuenſis imperium euectum vidi; ijs, inquam, priuatis plerunque negocijs, publiciſque rebus adminiſtrandis d[illegible], [illegible]que diſtrictis

nullo

nullo hoc pacto præſtare licuit. Quapropter cum tibi vni hoc negocij a tuis relictum, aut potius delatum, & quodam quaſi fato reſeruatum videretur; tu illud eo, quo decebat, ſtudio, animique ardore complectens, adhibito primùm ad eam rem doctorum virorum conſilio, librisque iampridem impreſſis cum aliquibus manuſcriptis exemplaribus collatis, librum nouis formis impreſſum edere conſtituiſti. In quo mihi tu ſanè (vt dudum aiebam) maximam præ te ferre pietatem viſus es; non illam quidem ſimplicem, aut vulgarem; ſed quæ cum ſumma animi magnitudine, atque prudentia coniuncta excellentis cuiuſdam ingenij, melioraque, ac præſtantiora ſemper perſpicientis, & ſectantis indicium eſſe poſſit. Hos nanque libros tam doctè, tamque luculenter a proauo tuo ſcriptos hoc tempore in lucem dare, iſtud quidem eſt domeſticæ laudi inſeruire, gloriamque a maioribus tuis partam non ſolum tueri, ſed eam ad generis, & familiæ tuæ memoriam ſempiternam poſteris auctam relinquere. Cur enim hoc tibi laudi non detur, cum eodem in genere de tur Tacito Auguſto? quem Cornelij Taciti neceſſarij ſui hiſtoriarum libros ſæpius excribendos, & in omnibus bibliothecis ponendos curaſſe proditum eſt? Illud præterea miram quandam animi propenſionem in literas, literarumque amatores oſtendere videtur, quòd hanc tam nobilem hiſtoriam a tuis primum ciuibus, tum a doctis omnibus diutius tantopere deſiderari paſſus non ſit; longiuſque proſpiciens poſteritati etiam conſulueris: quam quid... m, ſi ſcripta hæc prorſus interijſſent, non paruo dolore affectum iri conijci poteſt; vt quæ ſibi proditam a pleriſq; doctis viris huius hiſtoriæ memoriam videret, illam non reperiret. Poſtremo quis eſt, qui non ex hac re planè intelligat, quo amore, qua pietate patriam proſequaris? Eo animo Iacobus memorabilis illius belli hiſtoriam conſcripſit, vt tantam rem a populo ſuo præclare geſtam literis latinis perpetuò cuſtodiret; ciuitasque ſua, quantum in ipſo eſſet, ſempiternæ gloriæ commendaretur. At temporum iniuria pene iam factum erat, vt breui imminente horum librorum interitu, res aliter euentura, atque homo ſane doctus, & patriæ ſuæ amantiſſimus animo conceperat; & Genuenſis reſpublica non mediocrem ſplendoris ſui iacturam factura videretur. Cum ecce tu, Præſul clariſſime, collabentem p... pe... iam huius hiſtoriæ memoriam ad familiæ

tuæ

tuæ decus immortale, Genuenſisque nominis amplificationem reſtituiſti. Qua in re quid generi tuo, quid ſtudioſis omnibus, quid denique patriæ tuæ præſtiteris, eorum iudiciò relinquendum eſſe cenſeo, qui de latinis ſcriptoribus ſententiam ferre poſſunt. Equidem probe noui, quam longe abſim ab hac ſcribendi facultate; nec mihi tantum arrogo, vt de tanta re meum iudiciũ in medium afferre audeam: veruntamen doctiſſimorum pariter & grauiſſimorum virorum teſtimonio niti ſi velim, contendere poſſim auctorem hunc noſtrum admirabili quadam laude ita ſe inter ſcriptores ſuorum temporum extuliſſe; vt poſt oppreſſam, atque vaſtatam a barbaris Italiam, euerſamque vſque eò eloquentiam, vt latinè deſitum eſſet planè loqui; primus omnium iſtius generis ſcriptionem non modo iacentem excitaſſe, verum etiam obſcuram penitus illuſtraſſe, & in priſtinum ſplendorem quaſi vindicaſſe videri poſſit. Sed hoc ex librorum eius lectione clarius apparebit. Cæterum tibi, Antiſtes digniſſime, ob iſtã tuam benignitatem, pietatem, caritatem, qua in communem ſtudioſorum vtilitatem hoſce libros edendo vſus es, boni, doctique omnes & gratulari debent, & gratias agere; Deumque precari, vt te diu ſeruet incolumem; atque ad eum honoris, & dignitatis gradum, qui ſingulari iſti tuæ virtuti iampridem debetur, extollat. Vale. Romæ VII. Cal. Octobris. M. D. LXXIII.

IACOBI BRACELLII GE-NVENSIS DE BELLO HISPA-NIENSI

LIB. PRIMVS.

INTER MAXIMA PLV*rima'q; literarum beneficia; quarum indulgentiſs. generis humani parens* Deus,*inuentionem,& uſum ideo mortalibus contulit, ut pluribus,ac ualidioribus auxilijs animos noſtros ad amorem uirtutis erigeret; hiſtoria profectò in poſtremis habenda non eſt.* Nam *ut omittam uoluptatem; cuius expers eſſe nulla certe poteſt; quis eſt, qui ſine aliquo tandem fructu hiſtoriam legat?* Hæc *docet non modo rerum, ac temporum ordinem, ſed quod longe pluris habendum eſt, quibus artibus, quibus'q; conſilijs imperia creuerint: quibus contra uitiis infracta corruerint: quæ hominem uirtutes in nomen, ac famam euexerint: & ne nunc id agere uidear; & cognitionem rerum geſtarum, quæ & à multis,et accumulate laudata eſt, nouis laudibus perſequi uelim; nihil eſt deniq; quod homini uel appetendum,uel uitandum ſit,cuius non inuenias apud hiſtoricos uera documenta.* Verùm *cum hæc ex omnibus propè ſcriptoribus conſequare,illa ſanè præ omnibus hiſtorijs uberiores cuiq; fructus affert, ex qua maiorum noſtrorum uirtutes,ac laudes,et quæ illi præclare geſſerint, legentes in tuemur.* Ha-

bent fateor externorum quoq; regum, ac populorum egregia fa cinora, et ſua ad uirtutem incitamenta: nos q́; haud negauerim poteſt Aſſyrius, Perſa, Græcus ad honeſti amorem allicere. At dum noſtrorum prudentiam, fortitudinem, iuſtitiam, moderationem, animi magnitudinem, mandata literis admiramur; ſubit animum æmulatio, & quædam ueluti neceſſitas, ne degeneres, nè ue illorum abſimiles uideamur. Hæc me itaq; ratio commouit, ut id bellum; quod cum Alfonſo maximo citerioris Hiſpaniæ rege, multos per annos geſtum eſt; poſteris proderem: non quòd inter plurima bella, quæ Genuenſis populus aduerſus Piſanos, Venetos, reges Cyprios, alias q́; gentes ſuſcepit, hoc unum uel maximum fuerit, uel memoria digniſſimum; ſed illa ſuorum temporum ſcriptores nacta ſunt, qui qualicunq; oratione rerum exitus ſimplici, ac nuda ueritate tradiderunt: hoc uero; quod ſeculo noſtro geſtum eſt; nemo hactenus tractaſſe dicitur. Res ſanè indigna, et merito ætati noſtræ obiectanda: ſi memorabilis ſanè belli cognitione, uel noſtrorum temporum negligentia, uel ſcriptoris inopia poſteritatem defraudaret.

IOANNI *ulterioris Hiſpaniæ Regi; qui currentis equi lapſu exanimatus eſt; duo filij ſuperſtites fuere Henricus, & Ferdinandus: quorum natu maior Henricus patri ſuccedens; cum difficilem in morbum incidiſſet; in ipſo iuuentæ flore præreptus eſt, relicto unico filio Ioanne admodum puero: cuius tutelam, ſimul q́; & regni curam, fratri moriens commiſit. Ferdinandus uir fide, ac ſanctitate memorabilis, neq; regni adminiſtrationem ſegniter geſſit, neq; puerum ſecus quàm filium habuit: & cepto q́; bello aduerſus Maurum Granatæ regnantem, pluribus illum prælijs at-*

triuit: expugnatis q; plериſq; haud ignobilibus oppidis eius, ad petendam ſuppliciter pacem trepidum coegit. Inter hæc Martinus Iunior Siciliæ Rex perdomita maxima ex parte Sardinia moritur: nec multopoſt Martinus quoq; pater eius citerioris Hiſpaniæ rex & ipſe uitæ finem fecit, nullo regnorum hærede relicto. Atq; ita duo nobiliſſima regna multis ambientibus, nulli tamen certo ſucceſſori deſtinata, magnis motibus iactari cœperunt. Iura regnorum ſibi deberi præſeferebat Ludouicus Andegauiæ Dux: quem et Regem Apuliæ nominabant. Petebat autem, quòd illi ex Aragoneorum (ut nunc loquimur) regum genere Iolanthis uxor erat. Vſu enim effectum eſt, ut quos uel citerioris Hiſpaniæ, uel Tarraconẽſis prouinciæ reges appellare rectius licuiſſet; eos iandudum Aragoneos nominemus. Petebat & Iacobus Vrgelli Comes inter Proceres regni longe nobiliſſimus. Petebat ipſe quoq; Ferdinandus; in quem cum propter alia, tum ob uires opulentiſſimi regni, cuius adminiſtrationem fratris filio, eidem q; genero nondum tradiderat; pars magna principum procliuior erat. Nec deerant, qui Fœdericum iunioris Martini filium; quem ex pellice genuerat; inter competitores annumerarent: quòd rege natum, nec materno genere obſcurum, egregia indoles egregium principem promittere uidebatur. Cum interim ciuitates regum metu ſolutæ maiore licentia graſſari, diripere, occidere, & in mutuas iniurias ſine modo ruere: adeo ut his malis excitati Hiſpanienſis regni principes conſilia diligendi regis inire adacti ſint. Placuit igitur ex toto Regno iudices conſtituere: quibus & competitorum iura diſquirere cura eſſet, et deſignandi Regis arbitrium. Et quoniam in tres ordines uniuerſum Regnum tripertitum eſt; procerum, ſacerdotum,

et plebis; ex tribus his membris ſummæ auctoritatis magiſtratus aſſumptus eſt. Fuit in iudicum numero Vincentius Ferrarius diſciplinæ prædicatoriæ, uir non modo uitæ ſanctitate, ac doctrina, qua maxime pollebat, admirabilis; ſed multorum quoq; miraculorum fama orbe toto celebratus: adeo ut non deeſſent, qui affirmarent etiam mortuos quoſdam precibus eius ad uitam reuocatos fuiſſe. Iiſdem ferè temporibus; dum iudices conueniendo, conſulendo, diſceptando, dies terunt; Valentinis principibus ueteres exercere diſcordias liberum fuit. Itaq; cum Villaracuta, Centelliana'q; factio dudum odijs inter ſeſe, poſtremo armis certaſſent; ſuperior Villaracuta, urbe, agro'q; aduerſarios deturbauit. Tum demum Bernardus Centellus, quem omnis exulum manus ſequebatur, ad implorandam Ferdinandi opem conuerſus; cum ab eo aliquot ex ulteriore Hiſpania turmas equitum accepiſſet; nouarum uirium acceſſione ferox, in Valentinos fines impetum facit: ibi diripere, cedere, populari, atq; omnia ut in hoſtili ſolo hoſtiliter agere. Quibus iniurijs irritato populo, correptis ſtatim armis obuiam Centellianis itum eſt. Præſtabant Villaracutæ partes numero militis; ſed urbani, iam longam ob pacem militarium laborum inſueti. Bernardus contrà numero inferior, duratas exilio copias, & armis exercitum equitem ſecum trahebat. Vix quinq; paſſuum millia Valentini proceſſerant, cum hoſtes armatos, inſtructos'q;, ac plauſtris, aliis'q; impedimentis circunſeptos aſpiciunt: nec ſubſiſtere tamen, ſed munitiones argumenta pauoris rati, uelut aduerſus territos accelerato gradu ferebantur. Irritabat Villaracutis animos iniuriarum indignitas: nec difficilem uictoriam arbitrabantur aduerſus eos, quos paulo ante ſuperatos, finibus ſuis eiecerant. Cum hoſtium

prӕterea paucitatem, ſuorũ multitudinem oculis metiebantur; non in fiduciam ſolum uictoriӕ, ſed in contemptum quoq; exu lum adducebantur: ſubibant'q; indignatio, & ira., quòd non ſtatim pluribus ceſſiſſent. Exules accendebat prӕter deſide- rium patriӕ ultionis cupiditas, ingentes'q; animos dabat ex- ternus eques Granatinis bellis aſſuetus: ſed nihil ӕque auge- bat fiduciam, quàm quòd huic eidem equiti aduerſus urbanum peditem non ſyluëſtribus, aut impeditis locis, ſed patentibus campis dimicandum erat. Nondum ad teli iactum peruentum erat, cum auxiliaris eques munitionibus egreſſus, ſubditis equo calcaribus, in confertos hoſtes illatus, turbauit ordines: magno'q; terrore perculſum peditem late fudit: paucis'q; admo dum obſiſtere auſis, cӕteri ad ſuos paſſim refugere. Nec Bernardus, exules'q; ſegnius rem gerebant: quippe trepidan tes à fronte adorti, ut minus formidinis intulerant, ita inex- plebilibus odijs infenſi maiore cӕde graſſabantur. Igitur cum inſtantes multitudo incondita non ſuſtineret, terga Villaracu- tӕ uertunt: equitatu'q; Centelliano pertinaciter inſequente, uix unquam à uulgi ſtrage ceſſatum eſt, donec ſuperueniens nox uictores cohibuit. Ea clades cum nunciata eſſet, matres, omnis'q; plebs promiſcue portis effuſa, ſuorum quiſq; fortu- nam ſciſcitantes, cuncta plantu, uociferationibus'q; comple- bant: donec poſtridie uictores intra muros accepti ſunt. Ibi rebus compoſitis, recentis fama uictoriӕ multorum populo- rum animos Bernardo conciliauit: adeo ut non modo ciuita- tem, omnem'q; agrum Valentinum, ſed quicquid inſuper op- pidorum circa erat, opibus ſuis iunxerit. Nec ipſe ſanè acce- pti à Ferdinando auxilij diſſimulator, res omnes feliciter ge- ſtas in laudem eius uertebat: animos'q; hominum in ſtudia il-

ſtus omni arte traducebat: hunc unum eſſe dictitans, qui præter ſummas, admirabiles'q; uirtutes, nobiliſſimis regibus natus, ab ipſis uſq; ducibus Gothorum genus trahentibus, regis filius, regis frater, regis patruus, ac ſocer, ulterioris Hiſpaniæ uiribus ſuccinctus, dignus uideatur Imperio orbis terrarum. Cæteros competitores; ſi ei conferantur; aut degeneres uideri, aut admodum peregrinos, & regno tuendo parum ualidos. Itaq; cum à multis populis regnum Ferdinando palàm deſtinaretur, non multo poſt, hoc eſt anno à natiuitate Dei, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti XII ſupra milleſimum & quadringenteſimum, ab ipſis quoq; iudicibus rex declaratus eſt. Inter hæc cum ad gratulandum nouo regi totus occidens legationes decreuiſſet, Genuenſes quoq; legatos ſuos miſere, Baptiſtam Cicadam, & Petrum Perſium: qui apud regem aliquandiu morati in quinquennium cum eo inducias pepigere. Belli cauſæ cum rege nouo nullæ erant: cum populis uerò regni prope aſſiduæ. Nam quamdiu Aragoneis regibus Pallantia, Cæſarauguſta, pars'q; illa Hiſpaniæ, quam Tarraconenſem dixere priores, ſatis fuere; quæ poterant eſſe diſcordiarum cauſæ inter reges mediterraneis finibus incluſos, & Genuenſes maritimis rebus intentos? At poſteaquàm connubio effectum eſt, ut Barchino cum omni ditione, regno'q; acceſſerit; tum demum iam mari patefacto, latius extendendi imperij cupiditas creuit: interrupta ſunt finitimorum otia, bella populis, ac ciuitatibus indicta, & Balearium inſularum rege deuicto, regnum regno adiectum eſt. Et hactenus quidem tantum abfuit, ut ulla in Genuenſes odia in regibus eſſent; ut in expugnatione Dertuſæ, aliarum'q; urbium, frequenter hi reges Genuenſium claſſibus adiuti ſint. Vbi uerò

*Piſano, ac Genuenſi pro Sardinia contendentibus, regia ſi-
gna in inſula iuris alieni, & ab Hiſpania procul amota, pri-
mum conſpecta ſunt; ſtatim bellorum initia cum amiciſſimis
quondam regibus indignatio, ac metus genuere. Paucis poſt
hæc annis intercedentibus; cum facilis è Sardinia in Corſi-
cam tranſitus eſſet, inteſtinæ Corſorum diſcordiæ; quorum
principes quidam ad auxilia regia confugerunt; renouandis
bellis materiam præbuere. Verum eiuſmodi contentiones
aut pace finitæ, aut plerunq; induciarum conditionibus dila-
tæ ſunt: at crebræ maris rapinæ; cum nullo fœdere cohibe-
ri poſſent; nouas ſemper iniurias, & iniuriæ armorum cau-
ſas ſumminiſtrabant. Nam poſteaquàm cæſis Gallis Siciliam
Carolo Petrus eripuit, & ab Ebuſo Meſſanam uſq; tot in-
ſularum portus, commeatus q́; prædonibus patuere; ra-
ro admodum pacata maria: Hiſpani q́; piratæ cum alio-
rum quidem populorum, tum Genuenſium præcipue præda
alebantur. Ferdinandus cum pactas inducias ſanctè, religio-
ſe q́; ſeruaſſet; intra pauculos annos emoritur, relictis filijs
Alfonſo, Ioanne, Henrico, & Petro omnium iuniore. Ex his
cum ad Alfonſum ætate primum Regius honor delatus eſſet;
is necdum adoleſcentiam egreſſus bellicarum rerum gloriam
pacis laudibus præferens, ingentem claſſem magno ſtudio cō
parauit: quarto q́; fere poſtquàm regnare cœperat anno, uix-
dum compoſitis regni negotijs, in Sardiniam, ac deinde Cor-
ſicam traiecit. Aduentu regiæ claſſis erecti Corſorum animi,
gentis nouarum rerum præ cæteris cupidæ, ac ſemper dominā
tibus parum fidæ. Nec mora, Rex Caluum celebre oppidum
ſtatim occupat: eo q́; ſucceſſu elatus ad Bonifacij oppugnatio-
nem accingitur. Eſt autem Bonifacium, quem Syracuſanum*

portum ueteres appellauere; Genuenſis populi fidiſſima colonia. Nam dum Genuenſes, Piſani'q; inter ſe quondam armis cõtenderent; capto Bonifacio, eiectis'q; inde ueteribus incolis, nouæ in id oppidum familiæ ab Genua uſq; deductæ ſunt: ut'q; oppidanorum fides beneficijs obſtringeretur, immunitate populus donatus: permiſſum'q;, ut pro arbitrio ipſi ſibi leges conderent. Rex loci naturam contemplatus, parum in oppugnatione ſpei, plurimum in obſidione ponebat: neq; enim ignorabat ieiuni, ac ſterilis agri coloniæ, non id annonæ repoſitum eſſe, quo circunſeſſi uictoriam diu remorari poſſent. Mari igitur, terra'q; oppidum cingit: & ne nihil moliri uideretur, ingentibus tormentis, & eo præcipue, quod iam uſus Bombardam à ſonitu nominat, urbis muros quatit. Interdum ut clauſi conſtantiam populi experiretur, repentino ad ipſa mœnia impetu armatus miles admouebatur. Terrebat uulgi animos uis magna tormentorum: iuuentutem à mari, terra'q; mæmetuentem labor, ac uigiliæ conficiebant: quòd dies, nóctes'q; nulla ab armis quies erat. Sed nihil adeo conſilium omne prudentibus quoq; eripiebat, quàm alimentorum egeſtas, & ægre in paucos menſes annona ſufficiens. Itaq; priuſquam extrema ingruerent, placuit dedendæ urbis conditiones agitare: quod eo quidem animo tentatum eſt, ut ſic liceret Genuam mittere, qui obſidionem, & ſuprema diſcrimina feſſi iam populi nunciaret. Miſſis ad regem legatis pepigere tandem, niſi ab Genuenſibus auxilia, commeatus'q; interim ſuper ueniſſent, Calendis Ianuariis oppidum dedere. Ea de re obſides dati, quot Rex popoſcit, optimatum liberi, permiſſum'q;, ut Genuam ad implorandam opem legatus accederet: qui parata ad id biremi, ſecunda uſus nauigatione Genuam delatus,

cum

cum in ſenatum adductus fuiſſet ; in hanc fermè ſententiam locutus eſt . Eo loci dux illuſtris , uos'q; magnifici patres , Bonifaciani populi res poſita eſt , ut niſi uobis ocius ſuccurrentibus ſalui eſſe nequeamus : quippe qui auxilia ueſtra ; ſi etiam maturentur ; ne ſera ſint, magnopore ueremur. Alfonſus enim & Corſorum copijs , & prævalida claſſe formidabilis , cum ueſtram coloniam terra , mari'q; cinxiſſet ; ad id miſeriarum adegit , ut etiam dedendæ urbis fœdus percuſſum ſit . Traditi ſunt ea lege obſides liberi noſtri, ut niſi ante calendas Ianuarias præſidia , commeatus'q; ueſtri intra oppidum penetrarint ; portas hoſti patefaciamus . Bene tamen nobiſcum agi arbitraremur , ſi ; quemadmodum conuentum eſt; eam diem rex opperiretur : uerùm dum multiplices hinc artes eius , illinc parentum charitatem in filios cogito ; uidere mihi uideor, & regem callidiſſimum potiundæ uerbis percupidum; cui maximarum rerum gerendarum occaſionem breuis etiam cunctatio eripere poteſt ; & patres recipiendorum liberorum auidos , alios quàm patentium portarum aditus eſſe quæſituros . Ita fit, ut omnis etiam celeritas parum tuta ſit . Ego et ſqualidus, et intonſus, qualis in terram expoſitus è naui ſum, ad conſpectum ueſtrum feſtinus properaui : ut pauculas quoq; horas lucrifacerem . Opem oro fidiſsimo populo , nec ſi dixero filijs ueſtris , mentitus uidear : ſed eam opem , pro qua dies , noctes'q; uigilandum , agendum'q; ſit : in quam ſegnius eniti, nihil aliud ſit,quàm ſobolem ueſtram iratis hoſtibus prodere . Neq; enim nunc referam,nos non aliunde quam ab hac ſacroſancta urbe genus trahere , deductos quondam à uobis in extremas Corſicæ oras , qua freto exiguo ab Sardinia dirimitur . Ibi ſupra centum & ſeptuaginta annos , aut bella,aut

bellorum ſuſpiciones, aut pernicioſiores bellis inſidias paſſos, fidem tamen, quam uobis debuimus, impollutam præſtitiſſe, ſigna'q; ueſtra aduerſus hoſtium minas, omni contempto capitis diſcrimine, fuiſſe tutatos. Horruimus quondam Piſanorum arma: horruimus & eorum uires, qui Sardiniæ regnum aliquando tenuerunt. Aragoneos, & Venetos in perniciem ueſtram coniuratos mœnibus noſtris obſtrepentes aſpeximus: tunc cum Ioannes Valentis Genuenſi populo ſanctius quàm felicius imperitabat. Multis poſt ea tempora minis, terroribus'q; perculſi, non tamen fidem mutauimus. Deſciuerunt aliquando à uobis Sauona, Albumingaunum, Albumtimilium, omnis propè ora ueſtra in uos arma conuertit. Bonifacianus populus neq; pollicitationibus, neq; periculis, à fide; quam uobis debet; dimoueri didicit. Et ſi nunc quoq; quæratur, cur rex adeo nobis infenſus ſit; hæc eadem fides iræ, ac belli nobis cauſa eſt. Ferte igitur opem, oramus, infelici coloniæ propter uos ipſos pereunti: ferte opem aduerſus eum regem; qui cum fidem noſtram laudare debuiſſet; eam uelut ſcelus ulciſcitur: cogitate huius dimicationis euentum eum fore, qui apud exteras gentes de uobis iudicium ferat. Nam ſi nos coloniam, ac ſobolem ueſtram deſertos, infeſtis hoſtibus dilacerandos, & in ipſis propè oculis ueſtris excruciandos proditis; quam in uobis quæſo ſpem repoſituræ ſint nobiliſſimæ urbes, quibus trans maria imperatis? An ſcilicet credendum eſt, Famauguſtam, Peram, Samaſtram, Capham, Scythis, Armenijs, Græcis habitatas, tam longo hinc maris, ac terrarum interuallo diſtantes, fidem dubijs in rebus ſeruaturas eſſe, cum cum nos uiderint progeniem ueſtram, in conſpectu ueſtro poſitos, propter hanc ipſam fidem miſerabiliter interijſſe? Quòd

ſi nos ex potentiſſimi Regis *faucibus ereptos conſeruaueritis,*
non fortitudinis modo laudem, ſed & pietatis quoq; immorta-
lem gloriam conſequemini. Vt *enim eam uobis debemus fi-*
dem, quam parentibus liberi, ita opem; quam iure naturæ li-
beris parentes debent; à nobis impetrari æquum eſt. Lega-
to bonum animum habere iuſſo reſponſum eſt, ea eſſe Bonifa-
cianorum merita; ut pro eorum magnitudine digne ſatis lau-
dari nequeant. Curæ *ſibi fore ut extemplo obſidione ſoluan-*
tur: & fidei ſuæ fructum capiant. Anniſuros *præterea ſe,*
ut regem alieni cupidum inique ſuſcepti belli cito pœniteat. Se-
natu poſt hæc habito, ſeptem onerarias, easq́; prægrandes pa-
rari placuit. Addita *eſt & octaua longe minor: in qua tela,*
arma, toſtus panis, triticum, reponerentur. Is *numerus ad-*
uerſus hoſtem ſatis uiſus. Sed *nihil æque feſtinantes, quàm*
inopia pecuniæ fatigabat. Vexauerat *urbem, agrosq́; ingens*
peſtilentia: quæ ciues pauidos paſſim diſpulerat: et quamquam
ingruens autumnus uim morbi leuabat, perpauci tamen in
urbem redibant. Itaq; *cum ærarium publicum exhauſtum eſ-*
ſet; & à quibus tributum exigeretur, longe abeſſent; dimiſ-
ſis ad primarios ciues epiſtolis, quibus admonerentur impen-
denti diſcrimini ſuccurrere; & ſi quem peſtilentiæ metus re-
tineret, is ſaltem pecunijs adiuuaret; compertum eſt perpau-
cos admodum fuiſſe, quos, ut par fuerat, magnitudo eius
periculi commouiſſet. Erat *tunc rerum ſumma penes* Tho-
mam Campofulgoſum, *uirum cum ſingulari prudentia, tum*
promptitudine conſilij admirabilem. Is *ſe ut uidit ſcribendo,*
adhortando, monendo, nihil proficere; gemmas, aurea, ar-
gentea q́; uaſa contraxit: quibus Lucam *perlatis, & fœnori*
oppoſitis, tantum æris mutuo ſumpſit, quantum ſatis eſſe in

ſumptum claſſis putabatur. Interea ſummo ſtudio cuncta paꝛ rari: æs nauium magiſtris numeratum: uiri partim uoluntaꝛ rij mercede conducti, partim delecti, & ne reipublicæ deeſꝛ ſent rogati. Nec ſegnius apud naues omnia gerebantur, mali, antennæ, uela, rudentes, anchoræ, funes, aut, ut erat opus, reficiebantur, aut ſi qua deerant, aliunde comportabantur. Frequens quoq; futuræ pugnæ meditatio pleraq; moliebatur. Excitabantur in nauium puppibus editiora ſolito caſtella: ab utroq; nauis latere craſſioribus columnis fultæ quædam uelut uineæ ita ſuperne contegebantur; ut impune, ac ſine metu uulꝛ nerum inde etiam ab inermi pugnaretur. Alia quoq; ſubliꝛ mior uia ualidis aſſeribus undiq; clauſa, & firmis ſuſtentaꝛ culis impoſita, à puppi ducebat ad propram: ut his, aut illis laborantibus, tuta commeatio, ac facile ſubſidium foret. Ipſe dux Thomas; quamquam & aliæ animum curæ diſtraheꝛ bant; frequens naues inuiſere: raro à mari, portu'q; diſcedeꝛ re: quid actum foret, quid agendum ſupereſſet, crebro perꝛ contari: uerba'q; iactare: ſe ipſum claſſe regi occurſurum: neq; enim quempiam dignius maximo regi opponendum, quàm qui in patria ſupremum dignitatis locum teneat. Studio igiꝛ tur, ac labore difficultates ſuperante, breui effectum eſt; ut omnibus rebus exornata claſſis anchoris ſtaret. Iam claſſi præfectus fuerat Ioannes omnium Thomæ fratrum minimus, additis ei conſiliarijs Thoma Sauignono, Paulo Italico, Chriꝛ ſtophoro Caluo, ac Ioanne Andreæ. Iam omnibus recte paꝛ ratis, ſoli profectionem uenti morabantur. Incubuerat mari pertinax Auſter: id'q; ſibi regnum ita uendicaſſe uidebaꝛ tur, ut uenti reliqui interijſſe putarentur: cum Eurus tanꝛ dem parumper flare, et ſpei aliquid promittere uiſus eſt. Dux

itaq; claſſis diui Laurentij templum petens, & præcurſoris
Ioannis limina ueneratus, ſtatim nauem conſcendit, nec mul
to poſt uniuerſa claſſis ſoluta eſt. At Eurus breui elangue-
ſcens, ac ſtatim ad Auſtrum reuolutus, maxima cunctorum
ægritudine cum naues moraretur; iam maiore Decembris
parte circumacta, uix ſpei quicquam relinquebat poſſe iam ex-
tremis populi laborantis rebus ſuccurri. Magna tota urbe mœ
ſtitia: eo q́; maior, quòd neq; uis, neq; opes, neq; humana conſi-
lia, quicquam opis afferebant: apparebat q́; neceſſario rem to-
tam diuino arbitrio eſſe permittendam. Sed Thomas angebatur
præ omnibus: quòd memorabile reipub. uulnus in notam ſuorum
temporum haud dubie uertendum cernebat. Ad opem igitur
diuinam conuerſus, necdum illuceſcente, templum diue Ma-
riæ, ut uocant, Coronatæ; quod tribus fermè milibus paſ-
ſuum urbe abeſt; triſtis petit, profundo gemitu cœleſte nu-
men ſupplex orans. Garriant quantum libet, nos q́; irrideant,
qui negant Deum res humanas curare. Nocte, quæ prima in-
ſecuta eſt, repentino ecce impetu Boreas furere, tanta quidem
uehementia, ut domorum culmina conuelli putarentur: ea q́;
fuit, quamuis ſecundi, uiolentia uenti; ut è nauibus quarun-
dam uela lacerarit, aliarum latera rudentibus nudauerit: atq;
ita citatiſſimo curſu in conſpectum propè Bonifacij delatæ
ſunt. Rex cum Genuæ claſſem parari iampridem cognouiſſet,
Bonifaciani fauces portus ante obſtruxerat, immanes in unum
trabes colligans: quibus præter ualidos funes ferream etiam
catenam adiecerat, ratus his clauſtris facile naues hoſtium
portu arceri. Tum uerò conſpecta Genuenſi claſſe, naues
quinq; præaltas hac ratione collocat, ut proras in hoſtes uerte-
rent, inter ſe autem cohærerent, ut conſuto lateri latere ex

alia in alias facilis decurſus eſſet. Quæ ex his terræ propior erat, ponte in eam iniecto terreſtre ſubſidium nullo labore accipiebat: ita è terra in primam, & ex ea in reliquas percommode tranſiliebatur. Pone has minores naues ſiſtit, diſtributis laborum muneribus, ut quæq; ſciret, quid à ſe in bello curandum foret. Interea quà commodius uiſum eſt, maiora, minora'q; tormenta aduerſus uenturos hoſtes diſponit: ut ſi perrumpere clauſtra tentaſſent, uno tempore aduerſus multas ſimul, uix'q; ſuperabiles difficultates, ijs eluctandum eſſet. Præterea delectos quoq; milites monet, ut cum ad nauale prælium omnium animi, oculi'q; conuerſi fuerint; muros repente aggrediantur. Id'q; eo conſilio iuſſerat, ut ſi populus temere ſuppetias uenienti claſſi accurriſſet; neglecta mœnia miles irrumperet. Sin tuendis muris attineretur, nihil auxilij pugnantibus ſuis ſuppeditaret. At Boniſaciani aduentu claſſis cognito, clam noctu nuncium ad naues nantem mittunt: neq; enim per obſeſſum ab hoſtibus mare alia fallendi ſpes erat. Is quo in ſtatu res eſſent cum edocuiſſet; laudata fide, & conſtantia Bonifacianorum; hæc referre mandata iuſſus eſt: mœnia à fraude, & inſidijs ſumma cura tuerentur: quod ſupereſſet iuuentutis ſecuribus armarent: monerent'q;, ut cum perrumpere clauſtra naues molirentur; ipſi ad mare decurrerent: funes'q;, & reliqua catenarum uincula cautibus religata præciderent: id ſatis ad uictoriam putari. Et iam ſupra milleſimum, & quadringenteſimum primus, ac uigeſimus annus initium ſui aperuerat: ſexto enim calendas Ianuarias aduenisse claſſem obſeſſores, obſeſſi'q; iuxta didicerant: nec ſi poſtera die fuiſſent uenti, dilatum prælium fuiſſet: naues tamen qualicunq; uento delatæ ad con-

ſpectum urbis haud procul in anchoris ſtetere: quarum una, cui Babilanus Nigri præerat, dum terræ propinquat; ingen-ti ſaxu tormentis excuſſo alueum icta, cum irrumpentibus aquis uix obſiſti poſſet; qua iugum urbi ſubiectum præruptis cautibus imperuium eſt; curſum deflexit: ut illic acceptum uulnus utcunq; reficeret. Ibi ab oppidanis edocti, poſſe, ſi anniti uelint, per arduas rupes in iugum, atq; inde in urbem euadere; tantus, tam'q; pertinax fuit ardor animi; ut quo uix quiſpiam expeditus aditum tentaſſet; illuc per inuia ſaxa mi-les armatus peruenerit. Atq; ita alijs alios erigentibus, Bar-tholomeus Pinellus ad hoc ipſum delectus, cum præſidio, & portiuncula exigua commeatus intra oppidum acceptus eſt. Nocte inſequenti cum Zephyri flare cœpiſſent, luce prima Ioannes cuncta expediri ad pugnam iubet: ſuos'q; militariter allocutus hortatur, ut ſe, ac Genuenſi nomine dignos animos induant: adueniſſe diem precibus, ac uotis expetitam, qua fidiſſimam coloniam obſidione liberent: uiolenti regis iniu-rias ulciſcantur, quæ'q; præclaram; ac prioribus parem uicto-riam allatura ſit. Ipſum Deum (ſe exercitui Deum nominare uo luiſſe, ut ſciant homines bellorum exitus nõ aliunde eſſe quàm à Deo) hunc humanarum actionum æquiſſ. iudicem; qui claſſem intra perpaucas horas præcipiti curſu eouſq; incolumem de-tulerit; qui Zephyros optantibus Zephyros emiſerit; hunc in-quam Deum et iuſtiori cauſæ cunctis uidentibus fauiſſe, et pro ea aduerſus hoſtium confidentiam eſſe pugnaturum. His, & eiuſmodi cohortationibus accenſis ſuorum animis, pugnæ ſi-gnum propoſuit, quæ cuiq; nauium agenda eſſent ante conſti-tutis. Nec minus apud regias naues omnia ſumma cura ge-rebantur. Quæ cum eſſent tredecim numero, uerumtamen

& inexpugnabile robur nauis erat, quam Capitis rotundi uo cabant; quæ omnium ætatis ſuæ maxima delectis militibus re ferta; duabus q; ab utroq; latere nauibus ſepta, ipſa inter quinq; media, ſublimi prora, admiranda mali proceritate, arx uerius quàm nauis uidebatur. Prima omnium plenis uelis in hoſtes fertur nauis, cui præerat Iacobus Beniſſia, uaſto q; impetu obſtantia quæq; perrumpit, trabes, funes, catenæ, omnia demum comminuta ſunt: reliquis q; ſequentibus patefacta uia eſt. Hæc in Capitis rotundi proram inuecta; cum ſub ictu eius poſita, hinc à nauibus, illinc à terra ſaxis ingentibus peteretur; ſagittis q;, ac iaculis more imbris obrueretur; ægre hoſtes ſuſtinebat. Proxima ſecuta eſt Otoboni Nigri & ipſa ingens nauis: quæ illi quoq; monſtruoſe occurrens cum latus lateri conſeruiſſet, haud ſanè parum decreſcere uiſa eſt. Nec tertia Babilani ſegnius prælio ſeſe inferens, cum ducem, lectiſſimos q; milites ueheret; magnos ſuis animos addidit. Quarta Nigroni Nigri; dum improuide regitur; in Beniſſiam temere illata, deiecto caſtello; quod puppi ſupereminebat; haud parum ſuis, nihil hoſtibus nocuit: mox introrſum elapſa prælio ſub tracta eſt. Huius uel errorem, uel conſilium ſecutæ ſunt naues Benedicti equitis, Iuliani Catanei, Iacobi Lecaueli, et omniũ minima Leonini Grafioni: quam arma ferre cum maxima com meatus parte ſupra docuimus. Pugnabatur utrinq; obſtinatiſſimis animis: & quemadmodum apud regios integri feſſis ſuccedebant; ita tribus his; quæ omne dimicationis pondus ſuſtinebant; quinq; reliquæ tela, uiroſq; ſuggerebant. Aderat illinc rex bellicoſiſſimus uirtutis cuiusq; ſpectator, ac teſtis: hinc Bonifacianus populus editiora loca, tecta q; domorum compleuerat, coniunges, paruos q; liberos oſtentans, & ne

infeſtis hoſtibus proderentur, ſupplices manus tendens. Erat in Genuenſi claſſe uir Andreas nomine: quem à frequentatione aquarum Mergum nominabant: huic profundum maris petere, & ſi quid peſſum cecidiſſet, ſurſum referre, ludus, ac iocus erat. Quin; quod longe admirabilius fuit; tam diu ſub aquis uerſabatur, ut eum ibi ſæpe reſpirare neceſſarium foret. Hic in medio pugnæ ſæuientis ardore galea tectus, et breui cultro accinctus clàm ſe in mare præcipitem dedit; et imâ petens illius maximæ regiarum nauium funes anchorarios nullo negotio præcidit. At uaſta illa moles, quam duæ hoſtiles, ut diximus, naues ita urgebant ut uix ſiſti anchoris poſſet; ubi omni retinaculo ſoluta eſt; fluitare primum, deinde aliò proram uertere, poſtremo ſemel mota alias quoq; naues ſecum trahere. Iniecerat admirationem ſimul ac trepidationem, ut aſſolet, cauſa incognita. Neq; enim abſurde dictum eſt; natura homines ignota horrere. Tum regia claſſe ſenſim cedente, creuerunt Genuenſibus animi: & uelut ex integro renouatum prælium: cum præter paucos egregii facinoris gnaros, cæteri metu hoſtes ceſſiſſe haud dubitarent. Pugnatum eſt, & quidem acerrime, ab hora diei tertia uſq; ad ueſperam: multi utrinq; cæſi, plures uulnerati. Genuenſibus grauem intulerunt ſtragem tormenta: quæ in terra arte diſpoſita, & naues frequenter quaſſabant, & ſi quandoq; in pugnantium globos immania ſaxa inciderant, multos ſimul exanimabant, omnes formidine afficiebant. Regios maxime ſtrauit maiorum ſcorpionum multitudo: quibus ea die Genuenſes præclare uſi ſunt. Rex neq; conſilio, neq; fortitudine ſuis defuit: ſublimi equo uectus, omnia fortiſſimi ducis munia executus eſt; adeo ut etiam aliquando ſagittis appete-

retur. Neq; Ioannem, aut hoſtilium nauium multitudo, aut ſuarum pars maior pugnæ ſubtracta, aut tormenta undiq; circumtonantia, unquam exterruerunt: animo elatus, corpore ingens, ubiq; affuit: omnes adhortationibus fouit: ſolus omnium ſibi ea die requiem negauit. Tandem nullo contranitente, tutus Genuenſibus in urbem aditus patuit. Qui pauculos dies apud Bonifacium morati, ibiq́; præſidio, & commeatu relicto, uixq́; dum portu egrediuntur, incendijs hoſtium deuitatis, in patriam re admodum memorabili geſta læti rediere. Rex componendis Corſicanis rebus aliquanto temporis abſumpto, uniuerſam claſſem Siciliam traiecit: Bonifaciauos obſides ſecum abducens, obiectans populo, quòd percuſſum fœdus non ſatis ſyncera fide cuſtodiſſent. Siciliam cum perueniſſet, multos; qui acceptis uulneribus graues mari tamen ſe commiſerant; hiberna iactatione exanimatos ſepulturæ dedit: in quis Odo Luſcinianus Iacobi quondam Cyprij regis filius, & Iani frater, ampli funeris honore non caruit. Aduentus Alfonſi cognitus uaria conſilia, magnosq́; in regno Apuliæ motus excitauit. Tenebat opulentiſſimum regnum Ioanna Caroli quondam regis filia, & Ladiſlai ſoror: cũ ſine liberis decedenti ſeptimo iam anno ſucceſſerat. Hæc fœdis amoribus diffamata, ut uidit regiæ dignitatis molem à fœmina ſuſtineri non poſſe; denupſit Iacobo Marchiæ comiti, inter Galliarum principes cum ſplendore natalium, tum uirtute haudquaquam poſtremo: quem ubi & maritum & regem agere indignata cognouit; inconſtantia muliebri mox repudiauit: atq; ita regnum ſuopte ingenio diſcordijs obnoxium, reginæ inſuper flagitiis occaſionem præbentibus conuulſum, & in ueteres factiones diuiſum eſt. Erant, quibus fœmineus do-

minatus, neq; incommodus, neq; iniocundus eſſet: quòd digni-tatem & nomen Ioanna retinente, ſumma rerum ipſi potie-bantur. Erant contrà, quibus Ludouicum Andegauiæ ducem, Ludouici, quem ſuperius nominauimus, & Iolanthis filium, adoptari placebat. In certantium factionum diſcordia tutiſſi-mum uiſum eſt ijs; qui, ne Ludouicus adoptaretur, obſtiterant; Alfonſum reginæ filium deſtinari: ut Neapolim accerſitum, regem haberent, mari, terra'q; potentem: quem opibus Gal-lorum opponerent. Ita Alfonſus contentione Principum in regnum aſcitus tantarum uirium acceſſione non modo illu-ſtrior factus, ſed pleriſq; etiam formidabilis. Cathalanum quoq; nomen, quod præterquam maritimis in Italia populis, ſi non obſcurum, at certe parum admodum celebre fuerat; at-tolli, ac prædicari cœptum. At quoniam in Cathalani nominis mentionem incidimus; non abſurdum fuerit ex multis, quæ de origine, ac eorum rebus geſtis ſcriptores tradiderunt, pau-ca perſtringere: ut cum hos populos nominari continget, id ſaltem, quod ad huius hiſtoriæ cognitionem pertinebit, in aperto ſit. Anno urbis conditæ M.CLXIIII. imperante Hono rio, Halaricum inter Gothorum reges potentiſſimum, pri-mum poſt Senones Gallos Romam irrupiſſe, atq; eam direptio-nibus, incendijs'q; fœdaſſe, memoriæ proditum eſt: abducta etiam Placidia Archadij, & Honorij Imperatorum ſorore: quam Athaulfo poſtea connubio iunxit. Eodem ferè tempore Halani, Sueui, Vandali, alij'q; immanes populi, traiecto Rheno per Gallias debacchati, ad Pyreneum uſq; perueniunt. Nec multo poſt, cum eis cuſtodum perfidia clauſtra montis reſeraſſet, more inundantis diluuij Hiſpanias irrupere. Ibi poſt direptiones, & cædes perdomitis uerius quàm fugatis ue

teribus colonis, conſedere. Circumacto deinde exiguo tem- pore; hoc eſt anno M.CLXVIII. Conſtantius Comes, cui ſum- ma militiæ ab Honorio commiſſa erat, Narbonà nobili Gallia- rum urbe Gothos expulit, & in Hiſpanias migrare coegit; imperante Gothis hoc eodem Athaulfo, qui Halarico in re- gno ſucceſſerat. Atq; ita cum miſeras Hiſpanias truces po- puli aliquandiu laceraſſent, poſita tandem ſæuitia, ad cul- tum agrorum conuerſi arma, gladios q; abiecere. Ex q; duo- bus, qui præcellebant populis, Gothis, Halaniſ q; in nomen unum coeuntibus, Cathalanum nomen exortum eſt: fuit q; ijs, ut nunc quoq; eſt, præcipua ſedes, & caput Barchino: parua quondam urbs, nunc magnitudine populi, diuitijs, mo- ribus, legibus inclyta. Id q; arguit Athaulfi principatus: qui cum Barchinone regnaret, dolo ſuorum cæſus, ibi ſepultus eſt. Inter hæc dum Alfonſum Neapoli acceptum noui re- gni curæ diſtrahunt, Caluum oppidum; quod rex pri- mo eius aduentu in Corſicam (ut diximus) occu- pauerat; receptum eſt. Nam cum Hiſpanorum militum iniurias oppidani iam ultra ferre nequirent, coniuratione habita, re- gium præſidium eiecerunt: & in ueterem Genuenſis po- puli ditionem mox rediere.

LIBER SECVNDVS.

GENVENSIBVS quemadmodum Caluum receptum, & Bonifacium aduerſus uim regiam ſtrenue defenſum, animos non immerito dare poterant; ita Philippus Maria dux Mediolanenſis, nunc aperto bello Genuenſem agrum infeſtans: nunc ſimulata quiete ſuſpitionibus inuoluens, ſuſpenſam omni tempore ciuitatem, inquietamq́; reddebat. De quo quandoquidem ordo hiſtoriæ admonet ſermonem haberi, altius mihi initium petendum eſt. Ioannes Galeatius; qui omnium primus dux Mediolanenſis appellatus eſt; duos moriens filios reliquit, Ioannem, & Philippum, & utrumq; Mariam: primum ducem Mediolani, Philippum Ticini, uel, ut nunc loquimur, Papiæ comitem inſtituit. Ioannes Maria cum à iuuenili quadam ſtoliditate non procul abeſſet; ſæuumq́; & ſanguinarium, uel domeſtici quoq; formimidarent; ſuorum inſidijs obtruncatus eſt. Eo ſublato Brixia, Crema, Cremona, Laudes Pompeii, Placentia, & pleræq; aliæ ciſpadanæ, tranſpadanæq́; nobiles ciuitates à tyrannis occupatæ, maximis calamitatibus inuolutæ ſunt: donec anno natiuitate Ieſu Chriſti. M.CCCCXII. à parentis uerò obitu. X. Philippus Mediolanum accerſitus eſt. Hic ne uniuerſos ſimul tyrannos in ſe prouocaret, alijs bladiens, alios territans, ictó cum alijs fœdere, alios palàm oppugnans; breui effecit, ut occiſis, aut perdomitis, qui ei aduerſabantur, cunctos propè paterni imperij fines in ditionem ſuam redigeret. Confirmato iam principatu

cum ingentes aleret exercitus; creſcente cum ipſis ſucceſſibus ambitione latius regnandi; cœpit cogitationes ſuas longius extendere. Ac primum Genuenſes exules ad ſe confugientes clam fouit: deinde uelut principatum Thomæ, non Genuenſes, odiſſet; palàm ei bellum indixit: hiſq; ualidis exercitibus miſſis in eam uallem; qua amnis Porcifera mari tenuis illabitur; paucis oppidis uel ui, uel ſponte ad eum deſciſcentibus; copias inde reuocauit. Experientia poſt hæc doctior factus; cum tandem cognouiſſet, non eſſe ſatis terra urbem premere, ſi paterent Genuenſibus maria; miſſis oratoribus impetrauit ab Alſonſo: ut ſibi liceret octo ex regia claſſe triremes mercede conducere: quibus eo in bello uteretur. Præter quas apud Finarium duas quoq; armari curauit. Anno igitur. M.CCCCXXI. iam propinquo æſtatis exitu, delectas equitum, ac peditum copias, duce Guidone Taurello, per Ferionis uallem emiſit. Eſt autem Ferio haud magnus, ſed rapidus admodum amnis: quem Biſamnem uulgo nominamus: qui ex montibus Bargaliæ præcipitatus, orientale urbis latus penè uerberat. Genuenſes cum terreſtre bellum haud multi facerent, ſed ſi mari clauderentur, incommoda famis metuentes, aliquot onerarias naues ad commeatus ſubuehendos Maſſiliam mittunt: triremes octo raptim parant: quæ duce Baptiſta Thomæ fratre uiro impigro, nec armorum inexperto, regiæ claſſi occurrerent. Is cum audiſſet hoſtes Liguſticum ſinum tenuiſſe, inſecutus ueſtigia in conſpectum eorum haud longe à littore Finarij delatus eſt: quippe qui eo illuc conſilio uenerant, ut duas triremes, quæ iuſſu Philippi illic armabantur, ſibi adiungerent. Hiſpana claſſis cum parem numero claſſem in ſe tendentem proſpexiſſet; in fuga ſtatim ſalutem ponere

uelo, remoq; altum petere: è quibus una, ſeu rimoſa, et longa nauigatione quaſſata, ſeu ex paucitate remigum fuga deſperata, in littus impegit. Eam cum Galeotus Finarianus (ut uocant) Marchio ſubducere contenderet; Genuenſes contra indignum ducerent, hoſtem ſibi è manibus eripi; acre prælium & quam pro magnitudine præmij maius, in ipſa contentione exortum eſt. Poſt tandem uulnera, et cædes; cum claſſis onerariam nauem et quidem prægrandem; quæ forte haud longe aberat, eo traxiſſet; et illa alte ſupereminens defenſores à littore fugaſſet; triremis incenſa eſt. Septem reliquæ cum occidentem petere ſimulaſſent, ubi è conſpectu abiere, iter Piſas uerſus intenderunt. Baptiſta dum eo ſucceſſu elatus occidentalem oram legit, ut hoſtes aſſequatur, Finarianis nauibus facultatem dedit, qua ſe Hiſpanis adiungerent, atq; ita haud procul ab Arni fluminis oſtio in unum omnes coiere. Magna ſanè fuit trepidæ claſſi duarum acceſſio. Nam remige, ſocijsq; naualibus, teliſq;, & armis egregie inſtructæ aduenerant. Aduexerant etiam pleroſq; Genuenſium exulum, & manu & lingua promptos, qui Genuenſis claſſis famam eleuantes, torpentes Cathalanorum animos erexerunt. Nec multo poſt Baptiſta dolo hoſtium detecto, iter in orientem conuertit. Præerat claſſi regiæ Raimundus Coruarianus Monteſianæ militiæ magiſter, multarum rerum experientia clarus: qui quamquam numero nauium ſuperior erat, quantum tamen ars in bello ualeat, non oblitus, uada breuia, & incerta ſcrutatus, ibi naues ſuas ſiſtit: nequaquam adoriturus hoſtem, ſed ſi irruat, excepturus. Baptiſta hoſtili claſſe conſpecta Hiſpanos exteriores ratus intra quaſdam uelut munitiones ſeſe continere; magna ut in pauidos fiducia in-

uehitur. Quatuor ſuarum naues egregie pugnam capeſſunt: in duas hoſtiles mox tranſiliunt. Perterritos, & aut delite=ſcentes, aut in proram fugientes nautas cædunt. Quinta cum uado hæſiſſet; dum inde ſe auellere nititur; pugnæ ſubtra=cta eſt. At Raimundus ubi quatuor tantum pugnam ciere ui=dit; tres, uelut exitum prælij ſpectarent, procul ſe tenere; reliquam cum difficultate loci certare; tota claſſe quatuor prio=res cingit. Illæ quamdiu ſpes ſubſidij manſit, fortiter impe=tum hoſtium quamuis in orbem pugnantes ſuſtinuerunt. At poſtea quam tres illæ, quarum duas Monachi Ioannes Gri=maldus, tertiam Genuæ Lodouicus Carmadinus armaue=rat, deſperatis rebus fugam petiere; deditio facta eſt. Ita quinq; naues, et in eis dux ipſe in hoſtium poteſtatem ue=nere. Ea clade cognita, Thomas afflictis rebus diffiſus, de=dendæ ciuitatis conſilium capit. Nam & egeſtas pecuniarum angebat, & poſt uulnus acceptum facile hominum ſtudia in aduerſam factionem inclinabant. Igitur deditionis legibus præſcriptis; dum reliqua omnia cum Taurello componit; Phi=lippus, incertum quonam conſilio, propere Franciſco Carma=neolæ ad exercitum miſſo rerum omnium ſummam commit=tit: ita quæ cum Guidone inchoata fuerant, cum Carmaneo=la tranſegit. Conuenit, ut Genua cum omni argo, & ditio=ne ijs ferè legibus Philippo Mariæ, eiuſq; liberis uero ex connubio genitis dederetur; quibus Antoniotus Adurnius eam quondam in regem Francorum Carolum tranſtulerat. Anno igitur M.CCCCXXI. quarto nonas Nouembres præſidium Philippi intra urbem acceptum eſt. Philippus opulentiſſima ciuitate potitus; cum immodicas opes Alfonſi iamdudum ſu=ſpectas habuiſſet, quod diſſimulauerat diu, non ultra tegen=

dum

dum ratus, noua aduerſus regem conſilia inire cœpit. Multa erant, quæ ad id animum eius commouebant. Primum omnium, quòd nimio regis fulgore obumbrari faſtigium ſuum arbitrabatur: & qui poſt pontificem maximum, caput eſſe Italiæ conſueuerat: ſe iam inter poſteriores reiici haud mediocriter dolebat. Alfonſum quoq;, quem ut inter Italicos peregrinum, moderate ſe gerere æquum fuerat; elatum, inſolentemq; uidebat: quaſi domitor Italiæ haberi, ac prædicari uellet. His accedebat, quòd pleraq; inter ſe conuenta rex non ſatis religioſe ſeruaſſe putabatur: quamquam inter duos maximos terrarum dominos uicinitate propinquos; quorum uter maiore imperandi cupiditate flagraret, difficile iudicium erat; quæ potuit eſſe concordia? Stimulabat præterea ducem Ioanna leuitate fœminea iam tunc quoq; regi infenſa: quæ præter hoc quòd ſe contemni uidebat: non ſe iam reginam, nec eius, quam adoptaſſet, matrem, ſed captiuam potius eſſe dictabat. Nec Romanus pontifex Martinus nimiam regis felicitatem peroſus, adijciendis clàm ſtimulis deerat. His accedebant, maximum in re tanta momentum, Genuenſes: qui enixius à Philippo petierant, ut Ludouici Andegauienſis mitiſſimi ducis amicitiam regiæ ſuperbiæ anteferret. Et Ludouicus quidem pro uirili ſua pollicebatur auxilium: et connubio ſororem Philippo iungere non abnuebat. Ipſe uerò ſuas uires circumſpectans, pulcherrimum dicebat: ſi cuius Alfonſus domitor haberi uolebat; ipſe aſſertor Italiæ diceretur. His igitur tot rationibus motus, claſſem inſtruere Genuenſibus mandat. Præerat tunc Genuæ Carmaneola uir rerum geſtarum gloria, quàm genere inſignior: qui militarium artium apprime doctus cum probe calleret quid tantus apparatus exige-

ret, omnia ſummo ſtudio adminiſtrabat: eo'q; maiore, quòd iam à Philippo dux claſſis deſignatus erat. Igitur XII. oneraria naues, & quidem prægrandes contrahit: triremes ueteres ſubducit, ac reficit: quod deſtinato numero deerat, ædificatur. Neq; Philippus augendis uiribus claſſis parcus, lectos ex omni peditatu milites ſupra mille, & equites præterea trecentos onerarijs imponit. Ii fræna, ſellas, haſtas, & reliqua equitatus inſtrumenta ferre iuſſi: ut ubicumq; equos nanciſcerentur, cætera omnia in promptu forent. Iam anni M.CCCCXXIII. maiore parte circumacta, autumnus aduenerat: et quæ claſſis erant, ſumma ui maturabantur. Queis cognitis Alfonſus obſidionem ueritus regno migrare ſtatuit. Itaq; ualidis præſidijs urbibus impoſitis, ciuitatibus, ac populis publice iureiurando promittit, ſe quidem breui affore, maiore claſſe, maioribus'q; copijs inſtructum. Collectis'q; quatuordecim longis nauibus; quibus domum, paterna'q; regna repeteret; ſecunda nauigatione uſus in conſpectum Maſſiliæ delatus eſt. Ibi cum animaduertiſſet urbis cuſtodiam negligi; raros in turribus, muris'q; defenſores; omnia demum per ſocordiam geri; paucitate contempta impetus in urbem faciendi conſilium capit. Re quantum licuit diſimulata, paucis ſuorum, quid conaretur, aperit. Comparatis dein ſtrenue, quæ uſui fuere, clara luce urbem aggreditur: ac nullis prope obſiſtentibus Maſſiliam irrumpit, & per ocium diripit, ac poſtremo iniecto igni exhauſtam incendit: ablatis ſacris oſſibus diui Ludouici præſulis quondam Tholoſani. Hanc cladem paſſa Maſſilia eſt urbs Galliarum nobiliſſima, Phocenſibus auctoribus condita: et mari quondam admodum pollens, non dolis, non uiribus hoſtis expugnata, ſed ciuium ſocordia ſalu

tem publicam negligentium. Rex claſſem præda grauem trahens Valentiam; unde primum profectus fuerat; triumphanti ſimilis poſt paucos annos reuerſus eſt. Iam naues longæ duæ ſupra uiginti; è quibus Ludouicus Andegauienſis quatuor parauerat; & onerariæ duodecim, præter equites, externos q; pedites Mediolano miſſos, egregie naualibus ſocijs, & Genuenſi milite inſtructæ, in ipſum portum conuenerant: nec quicquam præter aduerſos uentos remorari claſſem credebatur; cum ecce repente Genuam Taurellus à Philippo mittitur: qui poſt habito Carmaneola claſſi præſit: ueluti nihil tanto ſtudio Philippus moliretur, quàm ut inter duos, et quidem egregios duces, implacabile odium ſubminiſtratis æmulationum cauſis acueret: cum paulo ante Genua potitus, contempto Guidone Carmaneolam prætuliſſet, mox poſtea Taurellum ſpræto Franciſco potiorem habere uiſus eſſet. Septimo idus Decembres claſſe ſoluta, Guido triremibus uectus, quamquam aſpera hyeme, cum littora legeret, Formianum (is eſt enim quem Caietanum dicimus) ſinum tenuit: cùm onerariæ reflantibus aquilonibus mari iactarentur. Et primo quidem longarum nauium aduentu regium præſidium Caietam ſecurum tuebatur. Irridebant quinetiam Genuenſes: ubinam eſſent percontantes tot milia peditum, equitum'q;, tot onerariæ, ingens'q; ille belli terror, quem tamdiu impudenter iactaſſent. At poſtea quàm cedentibus Aquilonibus onerarias armatis plenas portum ſubire conſpexerunt, exterriti ciues legationem mittunt: pacti'q;, ut Hiſpano præſidio incolumi abire liceret; urbem dedunt. Id exemplum omnes ferme maritimæ ciuitates imitatæ, Hiſpanos milites eiecere, quæcunq; iuberentur facturæ. Supererat una Neapolis: quam Iacobus Caldora in-

ter duces Italiæ admodum celebratus, ualido equitatu tene-bat. Eius ciuitatis ea erat auctoritas, ut etiam opulenti popu-li exitum eius ſecuturi putarentur. Nam & caput Campa-niæ, & ſedes regni multis ſeculis fuerat: nobilitate q; , & gloria cæteras facile anteibat. Igitur quemadmodum oppu-gnationem eius nulla ratio ſuadebat, ita ſi in fide regis perſti-tiſſet, parum admodum actum uidebatur: cum uel ſola ſatis eſ-ſet populis regni in ſua conſilia traducendis: obſidio uerò lon-gum, ac difficile opus, odioſa omnibus, eo q; grauior, quòd iam finito claſſis ſtipendio, qui rurſum æs numeraret, nemo uſquã erat. Ita quid ſtatuendum, quid agendum in certis omnibus, colloquia cum Neapolitanis haberi cœpta: paucorum q; dierum contractis inducijs, monitus eſt Iacobus regem procul abeſſe; nullas in Italia claſſes, nullos exercitus, quorum ſubſidiis fi-deret: poſſe eum aliquamdiu deditionem differre: effugere ſa-nè non poſſe. Quanto ſatius eſſe prudenti neceſſitatem in gra-tiam uertere: poſſe, ſi ſapiat, reginam, poſſe Philippum haud leui beneficio ſibi conciliare: Neapolitanis deditionem nequa-quam diſplicere: non tantum ſibi ex peruicacia laudis, quan-tum ex lenitate acceſſurum: His, huiuſmodi q; ſermonibus præ-fectus haudquaquam aures obſtruere. Illud frequenter cau-ſari; magna ſibi militiæ ſtipendia deberi: ſi urbe excedat; neminem uſquam inueniri, qui æs depromat: quamdiu urbem obtineat; eſſe ſibi amplum, ac certum ſolutionis pignus. Cùm his colloquijs pertentati ſæpius animi fuiſſent, conuentum eſt; ut ſi ſtipendiorum pecunias Philippus diſſoluat; urbs deda-tur. Re Mediolanum perlata, conquiſitum aurum Genuam mittitur: id q; naui delatum Iacobo numeratur: atq; ita ciui-tas in poteſtatem redacta. Cum omne igitur Hiſpanorum præ-

ſidium iam regno demigraſſet; nam et maritimas urbes claſſis receperat; & mediterraneas Ioanna *tenuerat; pacatis ubiq; populis omnia reginæ ſumma fide reddita ſunt.* Nec *multo poſt hortatu pontificis maximi,* Caldora *undiq; copias contrahit;* Brachio Peruſino; *qui tunc* Aquiloniam; *ſiue(ut nunc loquimur)* Aquilam *ciuitatem obſidione premebat; obuiam iturus.* Erat Brachius *omnium* Italiæ *ducum ea tempeſtate longe clariſſimus, regiarum partium peruicax fautor; qui ob hoc unum arma* Aquilonianis *infenſus intulerat, quòd ab* Andegauienſium *fide is nunquam populus dimoueri potuerat.* Iacobus *ad ſoluendam obſidionem magnis itineribus profectus; cum paratus decernere ad hoſtem perueniſſet; nulla pugnæ mora addita eſt: commiſſum prælium eſt atrox quidem; utpotè ſub duobus acerrimis ducibus inter ſeſe æmulis, & gloria rerum geſtarum penè paribus.* Cum *aliquamdiu pertinacibus animis certatum eſſet; &* Brachianus *equitatus haud dubie ſuperior uideretur; cohortes aliquot peditum; quas editiore tumulo* Brachius *locauerat; eo iuſſas locum tueri, ne hoſtis adoriri ea parte pugnantes poſſet; uelut iam parta uictoria ad prædam decurrerunt: deſerta'q; contra imperium ducis ſtatione ſua,* Caldoranis *facultatem dedere latera, terga'q; hoſtium inuadendi.* Et Aquiloniani *patefactis portis eruptione facta terrorem auxerunt: quibus ſimul periculis perculſus* Brachianus *exercitus ſenſim primum cedere, ac mox inſtantibus hinc atq; inde hoſtibus; effuſe fugam petere.* Multis *iam cæſis; pluribus captis, dux ipſe; dum conuerſo equo fugeret; in* Aquilonianorum *manus delatus, multis tandem confoſſus uulneribus occubuit.* In *cuius memoriam cum poſtea* Romanus *pontifex execrationibus ſæuiſ-*

ſet; exhumato cadauere oſſa ſolo ſparſa ſunt: quòd infeſtus inſectator eccleſiæ, in'q; ea peruicacia extinctus ſepulchri munere indignus fuerit. At claſſis quinto poſtquam ſoluta fuerat menſe, Genuam reuerſa eſt. Liberato Apuliæ regno Philippus quemadmodum igens nomen conſecutus erat; ita multorum animos metu magis quàm odio in ſe concitauerat. Primi'q; omnium Florentini; quibus ſupra centenos annos, aſſidua propè cum familia Vicecomitum bella fuerant; quos'q; Ioannes Galeatius Philippi pater, Piſis, Senis, Peruſia, & poſtremo Bononia potitus, ad extrema compulerat; immodicas ducis opes, uelut in ſe haud dubie comparatas, horrebant. Quid enim ſibi futurum; quos parens eius; cui ne lembus quidem unquam in mari fuit; uelut quodam circumpoſitarum urbium uallo ita clauſerit, ut pedem portis efferre non auderent; ſi filius ualidis exercitibus ſubniſus adeo quoq; mari polleat; ut regna pro ſua libidine alijs adimat, alijs largiatur? Et præbuerat ſanè Florentino Philippus populo cauſas belli maturandi. Nanq; ut ſublatum Brachium uidit; cui maxime duci is populus innitebatur; præmiſſis in Flaminiam copijs, Imolam urbem, & pleraq; haud ignobilia oppida raptim occupat: uidebatur'q; hoc ipſum eo conſilio moliri, ut per eam regionem uiam ſibi in Hetruriam aperiret. Alfonſus uerò indignabundus, quòd eo regno, in quod filius, & hæres uocatus fuerat, à Philippo exturbatus eſſet; omnia conſilia, cogitationes'q; in perniciem ducis conuertebat. Veneti quamquam nimiam eius felicitatem oderant; quia neq; Philippi odio, neq; metu exagitabantur; facile quieſcebant: apparebat'q; belli eos euentum expectare, fortunam in conſilio habituros. At minoribus Italiæ tyrannis; paucis admodum

exceptis; quibus Philippus blandiebatur; cum omnia duci cerſnerent mari, terra'q; ex ſententia fluere; propinquum exitium ante oculos obuerſabatur: niſi aduerſus eum motis alicunde armis, intra ſuos fines coerceretur. Cum hic igitur in Philippum ſtatus eſſet animorum, facilis fuit multorum in pari uoto conſenſus. Florentini etenim, quos propriora grauius pericula terrebant; triremes regias mercede conducunt: additis'q; paucis, quas parauerant Piſis; trium & uiginti longarum nauium claſſem contrahunt. Cohortati'q; Thomam Campofulgoſum, qui tunc Seraſanæ agebat; ut Philippi iugo patriam liberet, ſe'q; ac ſuos fœde exulantes domi reſtituat; ingentibus promiſſis perpulchre Genuenſium animos ad libertatem ſollicitare. Erat is annus à Chriſti natiuitate quintus & uiceſimus ſupra milleſimum et quadringenteſimum, quartus autem ex quo Genua potitus erat Philippus: nouus'q; dominatus ut multorum animos offenderat, ita gratiam, auctoritatem'q; Thomæ compararauerat. Fauebant rebus eius multi: quos dum ciuitati præerat, beneficijs deuinxerat: fauebant & pleriq;: qui ſe ſub Philippo iniurijs indigne affectos ducebant: ſed præ omnibus infenſa Philippo credebatur factio Guelfa: quæ parum fidei apud principem ſibi haberi rata, Guibellinam ſibi præferri impatienter ferebat. Verùm quoniam duas maximas Italiæ peſtes ordo nobis hiſtoriæ nominandas obtulit; haud inutile putauerim poſteris tradere, unde, & quo tempore Barbara hæc nomina; quæ tantum furoris, cædis, incendiorum, uaſtitatis infelicibus populis intulere; in Italiam primum defluxerint: ut cum placato iam Deo feliciora ſecula remearint; non magis rideant homines amentiam noſtram, quàm inſaniæ miſereantur. Cùm anno

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

à natiuitate redemptoris noſtri M. CXLIX. *Conradus quartus Hermanni ducis Sueuorum frater regnare cœpiſſet; contendenti ad imperium obſtitit ei ſumma ui Romanus pontifex: qui omnia molitus, ne is uoti compos fieret, poſtremo armis agendum ratus, Henricum Bauariæ ducem cognomento Superbum, iuniorem'q; fratrem eius Guelfonem nomine, aduerſus Conradum magna mercede conducit: longe ſatius eum arbitratus in Germania uitino bello diſtineri, quàm ſi collectis ab eo per otium uiribus, deſcendenti in Italiam occurrendum foret. Et erat ingens Henrici auctoritas: eo'q; maior, quòd Lotharius Cæſar Saxoniæ dux ſocer eius, principum animos, ac populorum ſtudia multis artibus genero conciliauerat; ueluti neminem alium ſucceſſorem imperio deſtinaret. Iuuabat ſtrenue partes Eccleſiæ & Rogerius, qui ex Galliis Italiam paulo ante ingreſſus, regnum Apuliæ, Siciliam'q; armis ſubegerat: & Innocentium tertium pontificem maximum fuſis eius copijs ceperat: quem poſtea honorificentiſſime habitum, ita in ſua uota traduxit, ut Rogerio, ac hæredibus eius, Pontifex Apuliam, Siciliam'q;, etiam Lothario aſſentiente, habendam permiſerit. Ita Rogerius ueritus, ne ſi Conradus Italiam armatus intraret, regnis recens partis exueretur; magna, contractis undiq; uiribus, Henrico, & Guelfoni Italicorum auxilia mittit. At Federicus Conradi filius delectos exercitus trahens, quoniam Henricum admodum ſenem militiæ munera obire ætas prohibebat; cum Guelfone congreſſus fortiter, feliciter'q; pugnauit fuſis, fugatis'q; hoſtibus, uix Guelfone per fugam elapſo. Nec multo poſt id bellum; ut quod non modo Italiæ, ſed ſummis quoq; Germaniæ ſtudijs gerebatur; maximis rurſum copijs utrinq; reparatur;*

tur: commiſſo q; iterum prælio haud longe à Vinſperg urbe Saxoniæ ante uillam, quam Helenſon nominant, uictus iterum Guelfo, ac cæſus eſt. Hæ autem erant & in caſtris, et in pugna de more adhortationes: ut hinc Guelfo Guelfo, illinc Guibelling conclamaretur, nomen ſanè non uiri, ſed uallis, ſeu regionis: in qua Federicum educatum ferebant. Hæc feralia nomina cum redeuntes Rogeriani milites in Italiam aduexiſſent; eas poſtea populis clades intulere, quarum quotidie ueſtigia oculis cernimus: nec ætas quoq; noſtra omnino expers fuit. At Thomas claſſe inſtructa in conſpectu ciuitatis haud longe ab ipſo portu aliquamdiu conſtitit: expectans; quemadmodum uidebatur; ut motus aliquis intra urbem oriretur. Poſteaquam firma cuncta, & quieta uidit; & ſuis locis præſidia diſpoſita; in orientalem oram conuerſus arcem portui; quem Delphini nominant; imminentem ſubito aduentu cepit: ſollicitatis q; uicinorum animis: aliquot in partes ſuas populos traxit. Inter quæ cum ad eum Segeſta, & Monilia deſciuiſſent; omnis prope orientalis ora uelut contactu quodam in ſuſpicionem adducta eſt. Eſt autem Segeſta, quam quidam Ptolemæi dimenſiones ſecuti Tiguliam opinantur: uicus incolis frequens: cui obijcitur inſula præruptis undiq; rupibus in ſimilitudinem muri cincta, tenui riuulo à continente auulſa. Ea; quoniam gemino portu dextra, læua q; inſignis tutam nauibus ſtationem præbet; Thomas loci opportunitatem ſecutus hanc uelut arcem, belli q; ſedem delegit: pedites q;, & equites Florentinorum haud contemnendam manum ibi locauit. Per idem ferè tempus præmiſſi à Philippo in Flaminiam duces, cum aduerſus Florentinorum copias res aliquando feliciter geſſiſſent; contractis poſtremo

utrinq; uiribus, magno diſcrimine pugnatum eſt: iſq; fuit tandem exitus, qui uictoris exercitus aduerſus ſæpe fuſos, fugatos'q; eſſe ſolet. Nam pars maxima equitatus hoſtilis capta, & armis exuta eſt, cum ipſo etiam duce Carolo Malateſta, uiro ſanè memorabili: ut qui neq; generis claritudine, neq; rerum geſtarum gloria, ulli tyrannorum Italiæ cederet. Huic; cum Mediolanum captiuus duceretur; Philippus honoris gratia obuius prodijt: neq; ſecus ac parentem omni tempore coluit. Cum igitur & fraterno reſtituta regno Ioanna, & præclaræ aduerſus Florentinos uictoriæ ingentes Philippo ſpiritus facerent; ad res Genuenſes conuerſus parari claſſem imperat. Quæ quo maiore ſtudio maturaretur, ipſe accolas Padi flumine exercitos in ſupplementum remigum mittit: ac tertiam propè totius ſumptus portionem depromit: præpoſito'q; claſſi Antonio Aurio Philippi filio, ſumma ui cuncta molitur. Magno præterea delectu ubiq; habito, ad quinq; peditum milia, et trecentos equites per fines Placentinos aduerſus Thomam, eius'q; fratres deſcendere Segeſtam iubet; duce Nicolao Tertio cognomento Bellatore. Nondum exornata claſſis erat: neq; tamen duodeuiginti triremes (tot enim parari placuerat) multum temporis exigebant. Verùm exortis ſuſpicionibus, quales in ciuilibus odijs hominum mentes occupare ſolent; uidebatur iam id bellum ex Hiſpanienſi, aut Florentino in ciuile uerſum. Itaq; delectu, ac iudicio opus eſſe credebatur: ne arma omnibus promiſcue committerentur. Et iam Tertius cum copiis aduentabat: occupatis'q; uicinis montibus, Segeſtæ imminebat. Itaq; Antonius correptis aliquot onerarijs, & pro anguſtia temporis raptim inſtructis, Segeſtam proficiſcitur: ut terra Tertius, ipſe mari hoſtes urge-

rent. Præerat claſſi regiæ Petrus iunior Alfonſi frater: quamquam rerum omnium Genuenſium ad Thomam arbitrium deferebatur. Præerat equitatui Baptiſta Campofulgoſus quartus à Thoma frater. Namq; Petro; qui Cyprum domuit; felix admodum fuit coniugum in prole fœcunditas. Octo enim moriens liberos reliquit: quorum nemo non uirilis ætatis annos attigit. Horum natu maximus Rolandus fuit, deinde Thomas, poſt eum Bartholomæus, hunc ſequebatur Spineta, poſt Abraham, Baptiſta, Proſper, & omnium nouiſſimus Ioannes: Ex his priorum quatuor Theodora Spinula, reliquorum totidem Benedicta Auria mater fuerat. Cum patenti campo Tertius copias inſtruxiſſet; non detrectauere hoſtes certamen: Nam mercenarius miles bellis aſſuctus quamquam numero longe impar, ſubitarium, & diuerſis collectum regionibus militem; cui neq; dux erat notus, neq; ipſe duci; facile contemnebat. Commiſſum eſt prælium equeſtre primum: & egregie utriſq; pugnantibus, incerta uictoria diſceſſum eſt. Cum poſtera die ſuas Tertius copias in aciem educeret, manifeſta pauoris ſigna edidere: uixq;, nondum conſpecto hoſte, moueri loco poterant. Vbi uerò uulgatum eſt Ioannem Ludouicum Fliſcum à Pontremulo, Taroq; cum lecta iuuentute deſcendere; tum demum ante teli iactum in fugam uerſi per inuia quæq; præcipites ferebantur: adeo ut hoſtes immodicam ſine ulla ratione trepidationem inſidias ſupicati, aliquamdiu preſſo gradu ſubſtiterint. Poſtquam uerò longe abeſſe inſidias patuit; non equitatus modo, ſed pedites quoq;, ſocijq; nauales fugientes inſecuti, tela, ſcuta, magnamq; armorum uim paſſim abiectorum calcantes, haud multis cæſis plurimos hoſtium cæpere: in quibus etiam Iacobus, Iſſeus

Brixianus, & pleriq; alij principes uiri capti ſunt. Quòd niſi Clauarum oppidum fugientes excepiſſet; uix eorum quiſquam hoſtium manus effugiſſet. Iiſdem ferè diebus feſſi bello Florentini, deletis ſæpe exercitibus, capto ad poſtremum Carolo duce, aliquot ad Philippum populis deſciſcentibus; diffiſi rebus ſuis, legationem ad Venetos decernunt opem aduerſus Philippum petituri. Legati cum belli ſocietatem oraſſent; nec quicquam Venetum ſenatum mouiſſent; miſſa ſecunda legatio eſt: quæ cum res aduerſas, ac pericula ſua ordine memoraſſet; negata rurſum ſibi ſocietate; poſtremo Nicolaus Vſanus gratia, prudentia, auctoritate in populo ſuo facile princeps, ultro ſe Venetias profecturum; ſi ſenatui placuiſſet; pollicitus eſt. Cum charitatis in patriam collaudatus fuiſſet; in conſpectum ducis, ac ſenatus Veneti introductus, enumeratis cladibus Florentini populi, cum egeſtatem ærarij, alienatos ab ſe uicinorum animos; quantoq; in periculo ſalus ciuitatis uerſaretur, omnes edocuiſſet; nouiſſime addidit: Nos quandoquidem à uobis repellimur, Philippum regem faciemus, uos poſtea Cæſarem. Ea uerba cum indignantis, & præceps conſilium capientis eſſe uiderentur, inflexerunt tandem Venetorum animos: fœdusq; contra Philippum cum Florentino populo ictum eſt. Interea duodeuiginti triremibus Genuæ raptim exornatis onerariæ duæ adijciuntur, uelut arx, & perfugium ad caſus incertos. Placuitq; claſſem in ipſis faucibus portus paratam teneri, ne intra urbem; in qua diuerſa iam ſtudia exarſerant; hoſtiles naues quicquam motus excitarent. Et claſsis Hiſpana parata decernere aliquando pugnandi poteſtatem fecit: ſed temeritas uidebatur rem ſummi diſcriminis aleæ committere: cum etiam non deeſſent, qui

uererentur, ne in ipſo certamine dubia adhuc uictoria, populus diſcors arma corriperet. Itaq; tormentis quandoq;, ſagittis'q; ſine ullo memorabili facinore eminus certatum eſt. At Florentini poſteaquam experimento cognouerunt triremes regias nihil aliud eſſe, quàm inexplebilem quandam pecuniarum uoraginem, rumoribus, et oſtentationi plurimum, utilitati parùm admodum inſeruientem; rem populari auræ præferentes claſſem dimiſere: & ad alia conſilia uerſi mari ceſſerunt. Hæc dum ita geruntur; Franciſcus Carmaneola impatienter ferens Taurellum in præfectura claſſis prælatum ſibi à Philippo fuiſſe; nec multo poſt reuocato ſibi à præſidatu Genuæ Iacobum Iſolanum Bononienſem diui Euſtachii Cardinalem iuſſu Philippi ſucceſſiſſe; ad hæc ſimul cernens aduerſarios ſuos apud Philippum gratia præualere; metu, indignatione'q; commotus clàm Mediolano exceſſit: paucis'q; menſibus; dum regum, populorum'q; animos explorat; abſumptis, à Venetis tandem mercede conductus rei militari præficitur. Commiſſa igitur ei aduerſus Philippum belli ſumma; cum copias omnes magna cura percenſuiſſet; impetu in Brixiam facto, multis ciuium adiuuantibus intra mœnia ſtatim acceptus eſt: adiuncto'q; ſibi populo ad arcium expugnationem accingitur. Inerat autem Franciſco non modo uigor animi, et admirabilis quædam conſilij promptitudo, ſed militarium quoq; artium ſumma peritia: ut qui non claritate generis, aut ullis opibus; ſed ſola rei bellicæ laude ex infimo loco ad id faſtigij euectus eſſet. Præter quæ ingens inſuper illi ſtudium fuit ita eniti, ut maximarum rerum; quas pro Philippo geſſerat; gloriam omnem in ſe uerteret: adeò ut duce mutato mutata quoq; Philippi fortuna uideretur. Flagrabat præterea cupi-

ditate non tàm Philippum, quàm proprios æmulos ulciſcendi: quorum detractionibus, ac dolis expugnatus ducis animus à ſingulari uiri beneuolentia in odium eius traductus fuiſſet. Brixianis igitur arcibus foſſa, ingenti'q; uallo cinctis, tormentis muros quatit. Neq; ignarus præſidium ad deditionem earum cogi non poſſe, niſi aut ſublata ſubſidij ſpe, aut rerum omnium inopia fractum; ita omnes ſepſit aditus, ut neq; Philippi copiæ ſuccurrere obſeſſis poſſent, neq; clàm quiſquam in eas penetrare. Exitu eius æſtatis cum Abraham Campofulgoſus collecta agreſtium manu è Sauiniono, Montobio'q; profectus ſilentio noctis aditum in urbem habuiſſet; re cognita multis locis in urbe pugnatum eſt: præſidio'q; quod, ut portæ uaccarum præeſſet, turribus eius impoſuerat; leui prælio inde mox eiecto, paucis cæſis, pluribus captis; Abraham cum reliquis in fugam uerſus urbe ſe proripuit. Philippus, qui mari, terra'q; Italiam modo totam quatiebat, amiſſa Brixia, Genua propè erepta, ingruentibus undiq; periculis territus conſilia pacis cum Alfonſo iungendæ agitare cœpit. Neq; regis animus experti tandem quantum rebus ſuis momenti eſſet in Philippo, à pace abhorrebat. Legationibus igitur citro, ultro'q; miſſis; inter regem, ducem'q; pax renouata: in qua promiſit Philippus Caluum, & Bonifacium oppida Corſicæ, regi tradere. Id quoniam inuitis Genuenſibus, inuitis oppidanis præſtare non poterat; arces interim portus Lunenſis, & Ilicis, ea conditione Alfonſo deduntur, ut; donec promiſſa Philippus impleret; hæ ſumptu ducis regio præſidio tenerentur. His, alijs'q; conditionibus cum anno M. CCCCXXVI. redintegrata inter eos amicitia fuiſſet; nullo tamen Genuenſium aſſenſu; pacata maria, et tuta na-

uigatio fuit: præterquam à Florentinis, qui pauculis aliquan-do biremibus, triremibus'q; prædonum, non belligerantium more, minoribus nauibus inſidiabantur. Nec ante mari abſti-nuerunt, quàm captis Andrea Marino, Iuliano Turpiano, & Petrucio Verro trierarchis, totidem'q; eorum trirembus; his cladibus edoctos incœpti pœnituit. Eodem anno cum Bri-xianarum arcium præſidia longo tempore obſeſſa, fruſtra Philippi auxilium expectaſſent; pacti tandem, ut ſaluis abire liceret; arcium deditionem fecere. Ita nobiliſſima ciuitas Cenomanorum quondam Gallorum caput in Venetorum di-tionem redacta. Biennio quoq;, quod poſtea ſecutum eſt; cum Philippo non tam exercitus, quàm dux deeſſet; magnis cla-dibus propè obrutus eſt. Nam cum præfectorum ſuorum ne-mo unus adeo excelleret, ut non imperio eius parere reliquos puderet; eò Philippum neceſſitas adegit, ut Carolum Mala-teſtam hoſtium quondam ducem, & quidem abſentem, exer-citibus præficeret: dein uicarium ei ſubſtitueret alium item Carolum Malateſtam, quem iuniorem uulgo nominabant. Ita cum caſtra eius, uelut ipſum ducis nomen per ſe in bello ſatis eſſet, à nemine uno regerentur; multis'q; ex æquo imperan-tibus contentio, æmulatio'q; tempora conſiliorum eriperent; ingens calamitas accepta eſt. Namq; Carmaneola, quem ni-hil horum latebat, cum irritatis hoſtibus eos tandem ad pu-gnam elicuiſſet; iuſſis equitibus ut delectorum ad id peditum unum equo quiſq; acciperet, paludem; quæ media interiace-bat; ingreſſus eſt: quod ubi hoſtes conſpexere, citatis & ipſi equis obuiam uenientibus perrexere. Commiſſum in ipſa pa-lude prælium eſt: cum ab utroq; latere patentes uias obiecto pedite Franciſcus ita præcluſiſſet, ut non alibi quàm in palu-

ſtri ſolo pugnari ab equitibus poſſet . ibi cum in molli, ac lu-brico uix mouerentur equi, quidam etiam haurirentur, aut caderent; deſilentes equo expediti pedites omne dimicationis diſcrimen paruo labore ſuſtulerunt. Cum enim nullus eſſet uſus haſtarum, ipſoq; armorum pondere uiri, equiq; pene obruerentur; ſemiermi, & agili militi facile ceſſere. Captus omnis prope equitatus: partaq; eo die uictoria, quæ bello finem imponeret, ſi fortuna Franciſcus uti uoluiſſet. Verum dum uel clementiæ famam quærit; uel beneficiorum Philippi non immemor ueteri aliquid amori tribuendum putat; paucis præfectorum exceptis, captiuos omnes dimiſit. Quæ res ei poſtea ſuſpicionem perfidiæ, & exitium tandem comparauit. Nam Veneti poſthac quàm minimum ei credentes, omnemq; ſermonem, actionesq; illius obſeruantes, quaſi in Philippi gratiam redire cuperet; diſſimulato odio, ueluti eum de ſumma belli audire uellent; Venetias euocatum, indefenſumq;, ac nullius certi criminis damnatum ſecuri percuſſerunt: publicatis etiam bonis eius: quæ in ſumptus belli haud parum temporis ſatis fuiſſe dicuntur. Hic fuit uitæ exitus Franciſci Carmaneolæ uiri non obſcuro modo, ſed etiam ſordido loco nati, adeo ut etiam porcorum greges puer pauerit; literarum ita prorſus ignari, ut primas figuras non cognoſceret: uerùm forma, ac uiribus corporis, fide, alijsq; uirtutibus digne memorabilis: rei uerò militaris peritia uſq; adeo præcellentis, ut bellorum arbiter uideri poſſet. Nam ad utroſlibet ille tranſiſſet, migraſſe cum eo fortuna credebatur. At Philippus rebus aduerſis, & magnitudine periculi territus, ad repetendum Apuliæ regnum Alſonſum ſollicitat: ratus fore, ut ſi Alſonſus opera ſua reciperetur, is poſtea ma-

gno

gno ſibi aduerſus Venetos uſui futurus eſſet. Rex cùm ami-citiam Philippi ſine Genuenſibus non multi faceret; legatos ad pacem, ſocietatem'q; iungendam Genuam mittit Bernar-dum Coruarianum, & Andream Bibrium illuſtres equites: & cum eis Belengarium Clauellum iuris ciuilis peritia cla-rum. Qui cum legationis cauſas expoſuiſſent; & ſenatus in concilium reliquos magiſtratus uocaſſet; ex omnium ſen-tentia quatuor uiri creati ſunt; quibus renouandæ cum rege pacis arbitrium committeretur; Barnabas Godaneus præcla-rus iuris interpres, Clemens Squartiaficus, Thomas Iudex, & Gaſpar Lercarius. Hi cum regijs legatis pacem nomine populi Genuenſis, nulla habita Philippi mentione, iunxerunt anno M. CCCCXXVIII. tertio nonas Maias regis ſocietatem aſpernati: ne uidelicet pronus in arma, & inquieti conſilij uir nouis Genuenſes bellis inuolueret. Aeſtate inſequenti in-gens, & inſolita Italiæ ſiccitas inter prodigioſa profectò ha-beri poſſet: ab ijs præcipue, qui aſſiduitatem imbrium, in-undationes fluminum, & quicquid modum exceſſit; in-ter prodigia numerant. Nam cum ab exitu Iunij uſq; ad ſe-ptimum Idus Decembres nullus ne minimus quidem imber terras perfudiſſet; non torrentes modo, ſed uberrimi quoq; fontes prorſus exaruerunt. Intra urbem certe fonte Amato-rio, fonte Riui turbidi, & quem Puterellum uulgo nominant, ſponte exiccatis, dantibus operam præfectis portus, ac mo-lis, purgati omnes ſunt: quod uiuentium nemini antea uidiſ-ſe contigerat. Plus tamen metus quàm calamitatis ea res at-tulit: nam neq; agrorum ſterilitas ulla, neq; annonæ caritas, ob id ſecuta eſt. Eodem quoq; anno Philippus Veneti, ac Florentini belli mole defeſſus, Mariam Amedei Sabaudiani

ducis filiam ſibi matrimonio iungit: traditis ſocero Vercellis inter tranſpadanas urbes haud poſtrema: confiſus fore, ut ab eo aduerſus Venetos in bello iuuaretur. Neq; multo poſt cum ſuper renouandæ pacis conditionibus ad Nicolaum Bononienſem Sanctæ Crucis Cardinalem delatum fuiſſet arbitrium; iudicio eius pace compoſita ab armis ceſſatum eſt: uerùm ita ceſſatum, ut appareret certamina non tàm ſublata eſſe, quàm dilata. Erant enim conditiones in pace cuiuſmodi eſſe ſolent, cum perduellium alter in rebus aduerſis, non ut manſuram pacem, ſed ut effugium periculi, pacem quærit. Nam & oppidis; quæcunq; tempore belli ex hoſte occupaſſet; & Bergomo præterea celebri urbe Cenomanorum, cedere Philippus ex pace iubebatur. Itaq; neq; exercitus dimittebantur, & pecuniarum conquiſitio nullo tempore remittebatur. Vixdum circumacto biennio cum Florentini Paulo Guiniſio Lucenſi tyranno infenſi; quòd Philippi partibus fauiſſe putabatur; exercitus uaſtando Lucenſi agro immiſiſſent; populus, ut creditur, ſuaſu Philippi correptis armis, & capto tyranno, libertati ciuitatem reſtituit. Ac miſſis Genuam legatis, qui aduerſum Florentinos auxilium peterent; fœdus cum Genuenſibus pepigere. Numerata ſunt Lucenſibus aureorum quindecim millia: quæ in uſum belli erogarentur: pro quibus ſtatuto tempore reddendis traditæ pignori Genuenſibus ſunt arces Motronii, & Petræſanctæ: promiſſa Carraria: promiſſa Auentia: ut hæc ſumptu Lucenſium, præſidijs Genuenſium tenerentur. At Florentini magnis exercitibus comparatis, Philippum quieturum rati, Lucæ obſidionem moliuntur: præcluſoq; omni aditu magno in diſcrimine ciuitatis ſalus uerſabatur. Et iam Philippo aliquantum ab ar-

mis otij fuerat: res q; ſuas ita compoſuerat, ut palàm eſſet eum in paucis conditionibus non diu manſurum: inter quæ Nicolaum Peruſinum cognomine Picininum copijs ſuis ducem præfecerat, uirum cum ingentis animi, tum militarium rerum peritia cum perpetua quadam felicitate admirabilem. Is cum obſidionem ſoluturus in agrum Lucenſem deſcenderet, rem tantam ſine ſagittarijs perfici non poſſe obteſtatus, ſagittariorum duo millia popoſcit: quorum opera montuoſis, et aſperis locis uteretur. Scripti extemplo ſunt in agro Genuenſi ſupra mille, & quingentos. Hi q; haud procul oppido Spedia in uilla, quàm Miliarinam uocant, in unum contracti, mox in Picinini caſtra peruenere. Nicolaus locis editioribus caſtellis extructis, ibi q; Genuenſibus in præſidio locatis; cum reliquo exercitu hoſtes adortus, memorabili uictoria Florentinorum copias fudit: captis ſupra mille, te quingentos equitibus, caſtris hoſtium, præda q; haud leui potitus. Ita exeunte anno M.CCCCXXX. ſæua hyeme, mēſe Decembri, magna cum hoſtium clade Lucenſis populus in extremis iam rebus poſitus, uirtute Picinini liberatus eſt. Cum iam pace utrinq; concuſſa omnis eius reuerentia contemptui eſſet, ſumma ui bellum ab utriſq;, ſed à Philippo enixius, terra, mari q; parabatur. Nam poſteaquam Lucenſis ſoluta obſidio eſt, Philippus; ut eum populum partibus ſuis adiungeret; præter arces Motronij, & Petræſanctæ Genuenſium præſidijs ſeruandas; conuenerat, ut Lucenſes prætorem ſibi quotannis ex Genua legerent: is q; ſemper ſenatui intereſſet: ſine q; eius auctoritate, neq; audiri ullam ullius populi legationem liceret, neq; item legatos mitti. Iacobus quoq; Apianus Plombini regulus ſe, ſua q; fidei Genuenſium commiſit, eosdem et

hoſtes, & amicos habiturus, quos Genuenſis populus habuiſſet. Eſt autem Plombinum non idem; ut quidam opinantur; oppidum, quod ueteres quondam Populoniam dixere; ſed illa potius exciſa hoc ex reliquiis eius conditum: octo ferè millibus paſſuum uerſus orientem à ſede ueteri recedens. His quoq; belli conatibus acceſſere Senenſes: qui Florentinis infenſi, poſt'q; ſubactas Piſas opes eorum magis, magis'q; formidantes, bellum in Hetruriam transferri cupiebant. Contractum igitur inter Genuenſes, ac Senenſes fœdus eſt: ea quidem lege, ut quingentos equites, & mille pedites ad bellum in Hetruria gerendum Genuenſis populus mitteret. Horum omnium, qui memorati ſunt, uiribus attinendi erant intra Hetruriam Florentinorum exercitus. Philippus trans Abduam flumen arma Venetis illaturus, ne maximis eorum opibus ſolus obijceretur; placuit, ut palàm à Genuenſibus bellum eis indiceretur. Nec mora, claſſis quoq; decernitur: parantur unà & uiginti triremes: Plombinenſi regulo duarum ex his armandarum curam ſuſcipiente. Nunquam eo ſeculo intra Italiam tanto conatu bellum inſtructum eſt: cum tota Ciſalpina Gallia, omnis'q; Hetruria armorum ſtudijs incenſa eſſet: duas quoq; præualidas claſſes duo populi maritimarum rerum gloria maxime illuſtres ſumma ui molirentur. Verùm omnium primus rerum bene compoſitarum ordinem Philippus turbauit. Nam cum ante expectatum Venetorum duces mouiſſent; nec ipſe inopia pecuniæ omnes adhuc copias ex hibernis eduxiſſet; paucitati ſuorum diffiſus, equitatum; qui ex compoſito Hetruriam petiturus erat; hoſti in Abduæ ripis oppoſuit. Ita in Hetruria nihil ea æſtate memorabile geri potuit. Acceſſit & clades mari accepta: quæ

pleraq; bene conſtituta mutare coegit. Franciſcus enim Spinula Genuenſis claſſis præfectus; cum allatum eſſet, claſſem Venetam Piſanum portum tenuiſſe; nondum ſatis paratas naues raptim ſoluit: occurſurus hoſtibus ubicunq; obuios fors obtuliſſet. Nullisq́; rebus ſatis pro nauali diſciplina compoſitis, biduo poſtquam ſoluerat hoſtili claſſe conſpecta in eam inuectus eſt, maiore ſanè animo, quàm conſilio. Pugnatum eſt itaq; anno M.CCCCXXXI. ſeptimo calendas Septembres ante templum Diui Fructuoſi: quod in promontorio poſitum eſt, quindecim paſſuum millia ab urbe diſtans, pari aliquamdiu fortuna. At poſteaquam triremis una Florentinorum ex ijs maioribus, quas in uſum ferendi oneris extrui uidemus, quæ præter remiges; ac nauales ſocios, trecentos quoq; milites uehebat; paſſis uelis in medios hoſtes illata eſt; quaſcumq; obuias habuit naues diſiecit: et uaſto impetu prætoriam feriens ita inclinauit in latus, ut nemo non pronus caderet, nauemq́; obrui trepidus putaret. In eam hoſtes nullo prohibente tranſilientes; cum ſigna deiecta in mare præcipitaſſent; reliquæ omnes in fugam uerſæ ſunt. Ex iis undecim portum Delphini propinquum admodum petiere, una Genuam redijt. Plombinenſium quoq; una alto ſe committens Plombinum tenuit. Octo in hoſtium poteſtate cum ipſo præfecto uenere. Claſſis uictricis dux Petrus Lauredanus uictoria modeſte admodum uſus eſt. Nam Franciſcum, reliquoſq́; captiuos, humane, ac perhonorifice habuit: turmasq́; nauticas ſine precio dimiſit omnes. Neq; Venetis incruenta uictoria fuit, multis in prælio cæſis, pluribus uulneratis: adeo ut cum Piſanum portum, Labronamq́; repetiſſent; exarmatæ naues, fugaq́; deſertæ uiderentur. Clade cognita Ge-

nuenſes ne hoſtibus audacia creſceret; naues, quæ pugnæ ſuperfuerant; cum loco cæſorum, ſauciorum q; integros ſubſtituiſſent; redarmant. Pauculis q; additis XII nauium claſſem portu educunt: præpoſito illis Nicolao Iuſtiniano Franciſci filio: ſatis eſſe arbitrati eo numero ſemiermibus hoſtibus occurrere. Ita quod ſupererat æſtatis, totum q; autumnum ea claſſe fines ſuos tutati ſunt: cum Veneti reficiendis animis, curandis q; uulneribus intenti nunquam poſtea hoſtes laceſſierint. Eodem anno cum Venetias perlatum fuiſſet, tranſmarinas Genuenſium urbes nullis præſidijs teneri; contractis raptim nauibus onerarijs XIII, et maioribus ad onera ferenda triremibus numero XII, tribus q; minoribus, quas graciles uulgo uocamus; re diſſimulata Chium petere ſtatuerunt. Claſſe igitur exornata, ſeptingentorum q; militum cohorte, cui præerat Scaramucia Ticinenſis uir acer, & bellicis laudibus celebratus, nauibus impoſita; Chium traiecere Nouembri menſe ſæua admodum hyeme: uerùm curſu adeo celeri, ut prius è locis editioribus inſulæ claſſis conſpecta ſit, quàm ad urbis defenſionem parari quicquam potuerit. Dum Veneti copias exponunt, dum loca explorant figendis caſtris aptiora, dum maiora tormenta inſtruunt; temporis paululum ad conſultandum, agendum q; clauſis, ac trepidantibus datum eſt. Præficitur ante omnia ſummæ belli Raphael Montaldus Leonardi filius, uir inter arma educatus, & multarum rerum experientia clarus: turribus, mœnibus q; præſidia diſponuntur: magna Scorpionum uis, magna ſagittarum totis muris congeſta. Veneti poſt triduum urbis oppugnationem aggreſſi, infirmos uetuſtate muros, nec aduerſus ingentium Bombardarum uim ſtructos, facile decutiebant: late q; da-

bat id genus tormenti uaſtas multis locis ruinas. Scorpioni-bus contrà certantes qui clauſi erant, ut non horrifico ſonitu tantum terroris, ita plus cædis, ac uulnerum in hoſtes edebant. Pugnatum eſt utrinq; ſumma obſtinatione: cum illi pro patria, pro'q; coniugibus, ac liberis opponerent corpora; hi præter oppidi prædiuitis prædam, indignarentur etiam urbem exiguam humili loco poſitam, nullo externo defenſam præſidio, non ſtatim ceſſiſſe. Cum nox ſuperueniens prælio finem feciſſet; fama eſt, ſcaramuciam; dũ de belli gerendi ratione conſuleretur; Andreæ Mocinico claſſis præfecto reſpondiſſe: ſe; uelut ad Græcorum caſtellum oppugnandum duceretur; eò tractum: inueniſſe urbem, cui neq; arma, neq; uiri, neq; animi, neq; Italicarum artium quicquam deeſſet; proinde aut abeundum, aut in obſidione ſpem omnem reponendam eſſe. Genuenſibus ut primæ dimicationis exitus animos dabat, ita eos ſtrati paſſim muri ſolicitos habebant. Nam neq; facilis refectio deficiente materia: et maiore multitudine opus erat ad tuenda loca muro nudata. Stabant in portu ingentis magnitudinis onerariæ duæ, precioſis mercibus plenæ, ita in anguſto portus ore collocatæ, ut Venetis nauibus proras obycerent. Ipſum autem portus oſtium ſingulæ utrinq; turres ita claudebant, ut intrantes, exeuntes'q; ſub ictu naues haberent. Hæ & naues, & turres ualidis etiam præſidijs egebant: ne alioquin portu hoſtis potiretur. Cum igitur pugnantium paucitas tot diuiſa locis minime ſufficeret; inuenit fortuna conſilium, ad quod humana ratio, obſiſtente auaritia, uix unquam traduci potuiſſet. Nam biremes quædam, & maiorum nauium ſcaphæ, cum inter ſcopulorum anguſtias, quibus alicubi clauditur, clàm noctu in portum penetraſſent;

tantum conſpectæ pauoris iniecere, ut admotis paulo poſt onerarijs turres, naueſq; præſidium deſeruerit, iniecto prius ab ſe proprijs nauibus igne: quo mox cuncta conflagrarunt. Ita portu in hoſtium poteſtate redacto; cum ea manus in urbem confugiſſet; tanta fuit oppidanis acceſſio uirium, ut qui diſiectis mœnibus paucitati ſuæ modo diffidebant, ijs ultro ad laceſſendum hoſtem etiam animi poſtea ſupereſſent. Veneti portu, turribuſq; potiti; cum oppugnandæ rurſus urbis conſilium cæpiſſent; maximas nauium portu acceptas mœnibus applicant: delectaq; iuuentute impoſita, reliquis copijs oppidum à terra cinxere. Ei uero murorum parti, quæ ad orientem ſolem ſpectat, triremes, minoreſq; onerarias ad obijciendum oculis terrorem oppoſuerunt. Atq; ita undiq; impetu facto anceps pugna committitur. Erat ea Venetis tormentorum copia, ut ſupra octingenta ſaxa una die intra urbem miſſa fuiſſe, ii qui interſuerunt, affirment. Male profectò de genere humano merita Aegyptus eſt: uel, ut alij putant, Germania: quæ omnium prima exigui pulueris commixtione id cladis urbibus, ac populis commenta eſt, ut arietem, balliſtam, cæteraq; ueteris militiæ tormenta, iam inter mitiorum artium inuenta numeremus. Cum principio tormentis, ſagittiſq; eminus certaretur, dein quaſſati multis locis muri peruadendi in urbem ſpem facerent, magna hominum uis ſagittis uulnerabatur: ſed erant letalia potiſſimum uulnera in mercenarios milites Scaramuciam ſecutos. Namq; in hos aut nullis, aut leuibus admodum armis tectos, confertim pugnantes, uix ullum ſine ictu intercidebat telum. At in medio pugnæ ardore dum cuncta fragore, & clamoribus ſtreperent; iuuentus, quæ ex maioribus nauibus proximos

ximos muros oppugnabat, iam eum urbis locum præſidio nundauerat: ſcalis q; ad id ipſum paratis mœnia indefenſa ſcandebat. Propugnacula enim; quæ in ſummitate mali extructa erant; adeo ſupereminebant, ut in muris conſiſtere; nemini ſine exitio liceret. Quod ubi animaduerſum eſt, patefieri portam præfectus imperat: & in latera ſcandentium impetu facto præcipites prouoluunt, ac deturbant: paucis cæſis: pluribus, ruentibus ſcalis, armorum pondere exanimatis. Conſtat urbem ea die capi potuiſſe, niſi aduſtarum nauium copiæ pridem intra oppidum acceptæ fuiſſent: cum oppidanorum paucitas uix tuendis mœnibus, nedum eruptioni ſufficeret. At hoſtes; quamquam parum proſpere tentata urbis oppugnatio erat; prælium tamen in ueſperam uſq; produxere: quod cum nox diremiſſet; compertum eſt, magnam hominum uim ſagittis maxime aut cecidiſſe, aut uulneratam ad naues relatam fuiſſe: adeo ut poſtea & multo minores copiæ uiſæ ſint, & ſegnius pugnarint. Veneti magna potiundæ urbis ſpe deiecti; dum de bello conſultant; placuit auctore Scaramucia occultis in oppidum cuniculis aditum quærere. Itaq; dum cœptum opus pertinaciter urgent, Scaramucia forte inermis; dum uel foſſores, uel loci ſitum intentius ſpectat; ſagitta ictus intra paucos dies moritur: quo adempto, & ſpei, et conſiliorum pars maxima hoſtibus intercidit: adeo q; obſeſſis creuerunt animi, ut ſæpe patefacta porta in obſeſſores erumperent: ſæpe non niſi uictores, aut æquo marte prælio excederent. Libet hoc loco referre id, quod eo bello eueniſſe nemini eorum, qui obſidebantur, ignotum eſt. Et quamquam uereor, ne quis mihi forſitan obijciat hiſtoricæ me breuitatis immemorem leuia nimium conſe-

ſtari; malo tamen eam culpam, ſi modo culpa eſt, ſubire, quàm rem cognitione dignam, & quandam uelut animorum noſtrorum diuinitatem arguentem, uanæ reprehenſionis metu reticere. Ambroſius Grimaldus unus erat eorum, qui intra Chium arma ferebant: uir præter generis nobilitatem etiam ex ſe notus. Is cum in cœtu amicorum narraſſet; ſe nocte proxima per quietem uidiſſe ſerpentem terribibilis ad modum formæ in ſe tendentem; qui ore ignem efflaret, ei'q; exitium minitaretur; monitus fuerat ab armis quieſcere, ſe'q; intra mœnia tenere. Eam ob cauſam cum poſitis armis otiaretur; forte euenit, ut repente patefacta porta omnis multitudo procurreret: quòd hoſtes proprius acceſſiſſe allatum erat. Cum nemo propè eſſet, qui non porta egrederetur; ipſe quoq; immixtus turbæ inter ultimos tamen erupit: et cum pone parietem quendam lateret, uix caput exerens, ut quid ageretur ſpectaret; lapis Bombarda excuſſus caput illi ſtatim omne perfregit. Atq; ita uiribus ignis exanimatus ſomnij fidem impleuit. Cum fama Venetæ claſſis, & prædiuitis oppidi periculum anxios, atq; ægros multos etiam procul poſitos in ſuſpenſo teneret; plures'q; inuenirentur, qui cuperent, quàm qui auderent obſeſſis opem ferre; Damianus Grillus apud Peram Genuenſium Coloniam tunc agens; cum iuuentutis animos ad aliquid audendum extimulaſſet; paucos, hoc eſt LXX. ferme uiros; in conſilia ſua traduxit: quibus cum ex ærario publico merces haud magna numerata fuiſſet; paruis biremibus uſq; ad conſpectum hoſtium peruenit. Edoctus deinde, quo in ſtatu res eſſent; & pleraq; proprijs etiam oculis contemplatus; ſilentio noctis, per hoſtiles naues, tot'q; ubiq; diſpoſitas cuſtodias, in urbem penetrauit. Mirum di-

ctu, quantum obſeſſorum fiduciam tam exigua manus auxerit: cum alij ab hoſte tam ignauò nihil iam inſtare periculi: alij non expectandum, ut fuga è manibus elabatur: alij ueris falſa miſcentes multa eiuſmodi ad concitandos animos in uulgus iactarent. Neq; multo poſt cum obſeſſores obſeſſi crebro laceſſerent, Veneti clàm noctu copijs in naues impoſitis XVI. Calendas Februarias uictis, ac fugientibus ſimiles, duabus onerarijs naufragio amiſſis, obſidionem deſeruere: Rhodumq; delati tantam ſauciorum multitudinem in terram expoſuere, ut quæſitum ſit, quiſquam ne ex tanta claſſe integer adueniſſet: quod certe apud utroſq; conſtitit: Scaramuciani milites haud plus dimidio ſuperfuere.

LIBER TERTIVS.

AT PHILIPPVS VBI cladem ſub Franciſco mari acceptam cognouit, reuocato Bartholomæo Capra Mediolani pontifice; qui Iacobo Iſolano Cardinali ſucceſſerat; Oldradum Lampugnaneum Mediolanenſem Genuæ præficit: magnoq́; ſtudio contendit nouam parari claſſem, quæ acceptum uulnus ulciſceretur: uirosq́;, ac pecunias, haſtas, ſagittas, & pleraq; eiuſmodi ad exornandam claſſem pollicitus, non multo labore peruicit. Decretis igitur nauibus onerarijs XIIII. cum triremibus decem, præfectus ſtatim deſignatur Petrus Spinula Cypriani filius. Hæc dum ita agerentur; & ſi allatum erat ualidam Venetijs claſſem profectam eſſe, eamq́; in Ionio mari conſpectam, Zacinthum, Cephaleamq́; uerſus curſum intendere; perpauci tamen inueniebantur, qui urbibus tranſmarinis metuendum putarent. At poſtquam alijs ſuper alios aduenientibus nuncijs patefactum eſt hoſtile conſilium; palamq́; fuit, cognouiſſe Venetos nullis Chium præſidijs teneri; non exploratores circummiſſos; non uigilias; non cuſtodias auctas; omnia ut in ſumma pace ſocordiæ, ac ſecuritatis plena; ob easq́; cauſas ad occupandam prædiuitem inſulam arma uertiſſe; tum demum expenſo periculo; cum in feſtinatione claſſis ſpes omnes repoſitæ eſſent; omni ſtudio conquiri pecunias, refici naues, conduci uiros, piſtoribus triticum diſtribui, omnia apparatu belli ardere.

Vt uerò deſertis turribus, & nauibus concrematis, hoſtes portu quoq; potitos allatum eſt; quo maiores accipiendis ſti-pendijs copiæ confluerent, exulibus, damnatisq́; qui in ea ex-peditione militarent; fides publica data eſt, & promiſſa ad id tempus impunitas. Sed obſtabat aſperitas hyemis: quan-tumq́; difficultates reliquas ardor animorum ſuperabat, tan-tum breuitas lucis, imber, gelu, mare concitatum, eiuſmo-diq́; inclementia temporum opus omne retardabant. Cum omnium animos ingens metus inuaſiſſet, nuncius ecce ſuper-uenit, biremem haud magnam literas ex Chio Venetias attu-liſſe: quibus lectis magnus tota urbe luctus auditus eſſe: & quamquam nihil ex eo certius afferebatur; coniectura fiebat tamen, res hoſtibus parum ſecundas fuiſſe. Nec multo poſt læti nuncij aduenere: claſſem obſidione ſoluta, nec leui clade accepta, Rhodum abijſſe. Eam ob cauſam ſtudium illud in-gens auxilij maturandi, ſublato iam metu, paululum remiſ-ſum eſt. Per eadem ferè tempora cognitum eſt, duas Vene-torum triremes onerarias; quæ negotiationis gratia Tanaim, Trapezontam q́; plenæ mercibus petebant; fœda tempeſtate correptas apud Soltaiam naufragio perijſſe: præfectumq́; ac pleroſq; primarios ciues in littus eiectos Capham miſſos fuiſſe: ibiq́; in cuſtodia ſeruari. Iiſdem quoq; temporibus Ioanna regina Apuliæ; ut cognouit Alfonſum repetendo regno intentum claſſem moliri; Ludouicum Andegauienſem ducem iniecta ſpe ſucceſſionis accerſit: Rhegioq́;, & alijs Brutijs ciuitatibus præficit: ut ſi uim, atq; arma hoſtis tentaſſet; paratum haberet, quem conatibus illius opponeret. Circuma-cta iam ueris parte; cum nauibus onerarijs delecta ueterano-rum militum manus impoſita eſſet; rebus omnibus recte pa-

ratis, claſſem exeunte Aprili Petrus ſoluit: uidebaturq; non minus terra, quàm mari bellum geſturus. Nam Veneti ſatis eſſe rati, ſi ſua tuerentur, præſidijs maritimis urbibus additis, quindecim tantum triremes parauerant, aduerſus repentinos incurſus ſubſidium. Citeriora igitur maria peruagatus cum paucas hoſtium naues cæpiſſet; Ionium ingreſſus Corcyræ copias expoſuit: urbisq; oppugnationem adortus, quicquid ædificiorum coniunctum mœnibus fuit, cæpit, diripuit, incendit. Verùm ut cognitum eſt, ualido eam præſidio teneri; abiecta ſpe inde diſceſſum eſt. Moxq; in Aegæum conuerſus, Naxum, & Andrum nobiles inſulas leuibus prælijs in deditionem accepit. Cumq; inopia commeatus fatigaretur claſſis, Chium traiecit: multosq; dies molendi difficultate retentus paucas nauium Cretam uerſus dimiſit: quæ cum onerarias Venetorum è Syria redeuntes habuiſſent obuias, earum unam precioſis mercibus grauem cæpere: reliquæ uentorum, ac noſtris beneficio è conſpectu ablatæ. Hoc modo exacta æſtate cum parte autumni; dum claſſis Genuam redit; atroci tempeſtate iactatæ naues diuerſum curſum tenuere: una etiam naufragio amiſſa: adeoq; ſæua hyems, & intractabile fuit mare, ut ægre Martio Genuam peruenerint onerariæ. Nec multo poſt cum peculatus accuſaretur Petrus, magnaq; ſuorum etiam inuidia premeretur; conſtitutis tamen grauibus, ac ſeueris iudicibus, abſolutus eſt. Videbaturq; Philippus ad hoc unum Genuæ præfeciſſe Franciſcum Barbauariam, ne Oldradus, apud quem gratia plurimum poterat Petrus; iudicium corrumperet. Nam pauloposſt reuocato Franciſco, rurſus Genuam Oldradus remittitur. Aeſtate, quæ mox ſecuta eſt, res in Ciſalpina Gallia feliciter geſtæ: à præfectis

enim Philippi aliquot prœliis uicti hoſtes ſeſe intra urbium mœnia continuere. Dein cum pulcherrima Venetorum claſſis Duce Nicolao Taruiſano Padum ingreſſa, cuncta terrore, ac tumultu miſceret; petente opem Philippo mille extemplo ſagittarij ſcripti, & trans Padum miſſi ſunt. Quod ubi Venetias perlatum eſt, iuſſus eſt Petrus Lauredanus; qui inſtaurata ueteri claſſe Liguſticam oram incurſabat; Venetias redire: quòd non uidebatur ijs nauibus ſatis continuiſſe Genuenſes, quin terreſtre auxilium Philippo præbuiſſent. Præerant exercitibus eius Nicolaus Picininus; cui liberata Luca ingens iam nomen fecerat; et Franciſcus Sfortia: quem Philippi poſtea generum, nunc Mediolanenſium ducem uidemus. Hi cum Ticini refectas naues inſtruxiſſent; ſecundo amne hoſtibus obuiam profecti, ſe tamen citra eorum conſpectum continebant: erat q; eis hoc melior quàm hoſti conditio, quòd illis aduerſus uim fluminis eluctandum erat, ipſi quoties certandi animus fuiſſet, prono alueo nullo labore ferebantur. Picinino igitur, & Sfortia aliud ſimulantibus; cum omnia ab exploratoribus crebro nunciarentur; inuadendi hoſtis clàm conſilium capiunt: raptim q; delecto ex omnibus copijs fortiſſimo quoq;; ijsq; cum Genuenſibus ſagittarijs in naues impoſitis; magno impetu in hoſtes inuehuntur. Pugnatum eſt ſummo ardore non claſſe tantum, ſed in ipſa quoq; Padi ripa, uſq; ad ueſperam: uictoriam q; magis diſtulit, quàm abſtulit nox. Nam poſtridie quæ hoſtium naues fortiter reſtiterant, non tam expugnatæ, quàm captæ ſunt, et quidem nullo periculo. Cum enim prima die pleræq; nauium uim inuehentis ſe Ticinenſis claſſis non ſuſtinuiſſent; multi q; nautarum inclinata iam uictoria ſilentio noctis clapſi naues deſeruiſſent; pri-

ma ſtatim luce hoſti ultro conceſſum eſt. Parta eo die præclara uictoria: et quæ Philippi res haud dubie ſuperiores effecerit. Conſtat, eam claſſem maximo, ac propè incredibili ſumptu comparatam fuiſſe: nam præter LX. *nauium alueos exquiſitis artificum ingenijs elaboratos, ibi arma, tela, commeatus, tormenta, & quicquid certis, incertis'q; caſibus conducere poſſe putabatur, uincendi cupiditas adeo accumulate congeſſerat, ut mirum uideretur, tantam rerum omnium copiam ipſas etiam Venetias ſuppeditare potuiſſe. Interiectis deinde diebus cum pacis iungendæ arbitrium ad Nicolaum Eſtenſem, & Ludouicum Salutianum ambos Marchiones delatum fuiſſet; pax renouata eſt: & captiui citro, ultro'q; dimiſſi. Et iam Siciliam noua claſſe traiecerat Alfonſus, confidens fore, ut uel ab Ioanna, uel altera factionum ruſus acerſeretur. Quam regis ſpem non modo aluerat Philippus, uerùm multa pollicitus, literis, legationibus'q; ſuaſerat maturare aduentum in Italiam: id'q; non tam eo animo, ut regias opes auctas cuperet, quàm ut ab ſe euocati amicitia Venetis terrorem incuteret. At poſteaquam arbitrorum iudicio leges pacis dictæ ſunt; tum demum patuere animi: palam'q; fuit, dolis, ac ſimulationibus plena omnia fuiſſe. Nam ſtatim elangueſcente priore amicitia, aliter uterq;, aliter'q; ſentire: aliter loqui: contraria agitare conſilia: in alternam ſæpe perniciem multa moliri. Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti* M.CCCCXXXIIII. *Ludouicus Andegauienſis; quem ſupra memorauimus; moritur: paucis'q; menſibus interiectis, Ioanna quoq; uitæ finem fecit. Ita regnum Apuliæ breui duobus orbatum principibus: uelut præda ualidiori expoſita, multorum animos ſolicitabat. Alfonſus, non ſe modo cæteros omnes*

iure anteire, ſed ad poſſeſſum regnum; unde iniuria exturbatus eſſet; debere reuocari crebro dictitare. Aduerſa factio Renatum Lotaringiæ, ac Barri ducem, Ludouici fratrem; qui tunc apud Philippum Burgundiæ ducem captus aſſeruabatur; in regnum uocabat. Philippus Mediolanenſis dux non tàm certum aliquem foucbat, quàm inualidiori fauturus uidebatur: ob eam'q; cauſam conatibus Alfonſi, ut potentioris, palàm obſtabat. Nuncijs, ac legationibus regum, dominorum'q; animos procerum ſibi conciliantium, Campania, Apulia, Calabria, omnis demum eius regni prouincia plenæ erant. Omnium itaq; animis in rerum expectatione ſuſpenſis, Caietanus populus ad Philippum, & Genuenſes mittit, qui præſidium orent, quo à ui, & iniuria tuti; urbem legitimo regi ſeruent: ei; qui cum præſidio accedat; liberam ſe ciuitatis cuſtodiam permiſſuros, pollicentur. Mouit Genuenſes Caietanorum periculum: quòd diſſentientibus inter ſe ciuibus inualuerat factio in Alfonſi ſtudia pronior. Nec erat Caieta, urbs maritima, portu nobilis, leue rerum momentum, ſi Alfonſum acciperet. Igitur cum præſidio CCC. militum eo miſſus eſt, Franciſcus Spinula: qui Venetijs poſt pacem exolutus redierat: data ei oneraria una admodum magna, cum triremi: quibus ea maria tueretur. Cum eo quoq; unà profectus eſt Otho Sopus inter Aulicos Philippi haud poſtremus, ad id ab eo miſſus, ut procerum animos in partes Philippi trahens, omni arte ab Alfonſo auerteret. Cum trepidam ciuitatem Franciſci aduentus erexiſſet; non multo poſt rex quoq; magnas cò copias mari traiecit: expoſito'q; in terram exercitu, undiq; urbem cinxit: dein tormentis muros quatiens, aſſiduis inſuper prælijs quietem obſeſſis negabat. Hæc ubi Genuæ cogni-

ta ſunt; placuit laborantibus ſubſidium mitti: quo obſidio ſolueretur. Delectis igitur onerariis quinq; ex omnibus, quæ maiores, paratiores q; contrahi potuere; præficitur Blaſius Axaretus ex ſcribis curiæ unus: quos uel ſecretarios, uel cancellarios uulgo nominamus. Comparauerat enim iam tunc ſibi famam, & maritimarum rerum peritia quadam, & quòd cum Petrucio Verro mari congreſſus, arte hoſtem, ac uirtute ſuperauerat. Armauerat Piſis triremem Petrucius, ut Caſtelliono Piſcariæ; quod haud procul Telamonis portu abeſt; opem ferret. Nec ignarus triremem unam Genuenſium mare illud peruagari; haud ſecus ſe, ſuos q; inſtruxerat, ac ſi neceſſario cum ea ſibi concurrendum foret. Vbi igitur in conſpectum mutuum peruenere; tum Petrucius extenſis à puppi ueſtibus; quibus ab ictu contegeret ſuos; ſagittis eminus hoſtem petere: donec adempta fugiendi facultate proram obuertere, & gladijs rem gerere coactus eſt. Tum demum paucis uulneratis deditio facta: nomen q; Blaſio peperit res haud magna: non quòd caſu congreſſum, ſed ſcientem, & ultro decernere paratum ſuperaſſet. Dum magno ſtudio naues parantur, Alfonſus; id quod erat; ueritus, ne à Genuenſibus obuiam conatibus ſuis iretur, priuſquam Caietam petiſſet; triremes, naues q; onerarias non tota modo Sicilia, ſed à citerioris quoq; Hiſpaniæ regnis in Formianum ſinum exciuerat: præter q; eam claſſem, quam ueniens aduexerat, magna iam nauium multitudo ad eum confluxerat: nec minor in dies uentura credebatur. Quod ubi certi Genuam nuntij attulere; aut augeri claſſem neceſſe uiſum eſt, aut amicum populum prodi. Mouebat Genuenſes pudor: ne ſine armis, ullo ue certamine regi ceſſiſſe uiderentur: & eos, qui ad

opem eorum confugiſſent, in ſupremum diſcrimen adductos; cum nihil iam ſpei ſupereſſet; deſeruiſſe. Mouebat Franciſcus, præſidium'q; pauloante miſſi: quibus niſi ocyus ſuccurriſſent; obieciſſe eos iratis hoſtibus uideri poterant. Mouebant et magnæ Genuenſium opes: quas ex toto regno Caietam, uelut in portum, ac perfugium mercatores contulerant. Contrà difficultas rei, ſumptus'q;, et ingentia negotiationis incommoda, haud paucos in contrariam ſententiam trahebant. Nam uacuæ naues bello aptæ nullæ erant in portu. Exonerare eas, quæ precioſis mercibus onuſtæ Hiſpaniam, Britanniam, Gallias petituræ erant, & ad bellum diuertere; ſine graui uectigalium iactura, maximo'q; mercaturæ detrimento, nequibant. Cum diuerſis aliquamdiu ſtudijs certatum eſſet; uicit tandem ſententia melior: quæ dignitatem, et famam utilitati præferri ſuadebat. Ita naues quatuor prioribus adiectæ. Vixdum exoneratione cœpta, ſuperuenere, qui nuntiarent, præter undecim triremes contraxiſſe regem duas & uiginti onerarias: eſſe in illis pleraſq; ingentis magnitudinis. Regiam uerò; quam à Nauarchi nomine Magnanam appellent; inauditæ, ac prodigioſæ ſublimitatis adeo reliquas omnes ſupereminere, ut prora dimidium mali etiam maiorum nauium exæquet. Imprudentis eſſe, & rempublicam præcipitare cupientis, nouem tantum onerarias maximæ, ac præualidæ claſſi obijcere. His nuntijs anxij magiſtratus; quandoquidem pars rerum maior non decreta modo, ſed perfecta quoq; uidebatur; tres inſuper haud contemnendæ magnitudinis onerarias; quæ ſumpto onere Sauonenſi in portu uentos opperiebantur; exonerari imperant, et bello parari. Reuocantur illæ ex incæpto curſu: onus exponunt: inſtruuntur:

eo'q; maiore feſtinatione, ne nouem propè paratis tres cun-ctationem afferrent. sed inijciebant haud leuem curam non tàm iuuentutis inopia, quàm ira, atq; indignatio. Nam qui prioribus claſſibus ſub Petro Spinula, & Carolo Lomellino pauloante meruerant; præter cladem in Taurica Cherſoneſo temeritate ducis acceptam; ſtipendijs ſuis defraudati, & ob id inutilem militiam peroſi, nullis à domo pollicitationibus reuelli poterant. Delegatum igitur Nauarchis negotium, ut præter nauales turmas, aliam quoq; manum; cui arma committerentur; mercede conducerent: ac deſcriptus cuiq; pro magnitudine nauium iuuentutis numerus: quam conduci liceret. Ad præſides quoq;, & magiſtratus urbium, ac populorum literæ datæ: ut habito delectu uiros mari aſſuetos edicta die armatos adeſſe iuberent. Poſtquam aduenientibus qui mittebantur, arma, uiri'q; recenſeri potuere; facile iudicium fuit, eos; quos ab ſe conductos Nauarchi exhibuere; non tàm præſtantem, ac lectam manum uideri, quàm promiſcuæ, ac mediæ ſortis: eos uerò, qui ex delectu iuſſi fuerant, magna ex parte deſidem turbam, armorum'q;, ac nauigationis inexpertam. Nam ut cuiq; ſors obuenerat; ſi laboris, ac belli pigebat; uicarium dabat: nec eum quidem, qui manu promptior, ſed qui potius leuiore mercede militiam non aſpernaretur: ita plæriq; à falce, & aratro, raptim ad arma transferebantur. Quod ubi animaduerſum eſt, quæſtus Blaſius, decus, & æſtimationem publicam negligi; & amiciſſimum populum cum Franciſco; qui tum gratia, & opibus plurimum in ciuitate poterat; tot'q; fortibus uiris; qui eum ſecuti erant; hoſtibus prodi; nobiliſſimarum nauium gloria Genuenſes orbari, ac mancos reddi; impetrauit tan-

dem, ut quadringenti ex urbe, omni'q; agro Genuenſi le-ctiſſimi uiri nominatim euocati, ad eam militiam cogerentur: quod illi facilius ideo permiſſum eſt: quoniam horum pars maxima credebatur Philippi dominatum odiſſe. Hæc iuue-num fortiſſima manus; ut poſtea exitus docuit; uires, ac ro-bur claſſis, & haud dubie uictoriæ cauſa fuere. Hæc dum à Genuenſibus geruntur; Caietanos terra, ac mari clauſos diurni, nocturni'q; labores tedio confecerant. Accedebant et famis mala: quæ non minus futurorum metu, quàm præſen-tibus incommodis torquere hominem ſolent. Computantes'q; obſidionis tempora, iam ſeri auxilij ſpes deſtituebat: nam quid Genuæ pararetur clauſi, ac prope circumuallati noſſe non poterant. Primam illis auxilij propinquantis attulit ſpem: quòd præter morem in portu tumultuari uiderunt: dum na-uium aliæ funes ancorarios legunt, aliæ ſaburra replentur, antennis aliæ uela connectunt. Alfonſo enim; dum, quid mo-lirentur Genuenſes, explorat; renuntiatum pridem fuerat, quinq; tantum onerarias parari: qui paucitate contempta, nihil in caſtris, nihil in mari motus fecerat. At poſteaquam triremes duæ Igilium uſq; ſpeculatum miſſæ, auctam claſ-ſem, & quin ſoluatur haud multum abeſſe, retulerunt; rex XIIII. onerarias ex duabus, et uiginti delectas, armatis com-plet. Erant ei florentiſſimæ copiæ robora uirorum, quos uel præmia, uel ſpes, aut aliæ cauſæ, ex diuerſis regionibus ad eum traxerant. Namq; ulterioris Hiſpaniæ Principes; quos aduerſa factio domo expulerat; ad eum omnes confugerant: ſperantes aliquando fore, ut ab eo in patriam reſtituerentur. Ex citeriore uerò, ex'q; inſulis Balearibus, omnis nobilitas, omnis propè iuuentus, iampridem claſſe regem Siciliam pe-

tentem ſecuta erat. Regno autem Apuliæ inteſtinis diſcordijs laborante, non ij modo ad regem confluebant; quos aduerſariorum odia patria exegerant; ſed plurimi quoq;, qui eum ſibi regem, ac dominum præſagientes, gratiam eius emereri obſequio ſtudebant. Ipſe quoq; in continentem ex Sicilia traiecturus; iuuentutem eius inſulæ ſe Caietam ſequi iuſſerat. Erant præter has, quas memorauimus, gentes, etiam regi generoſiſſimarum prouinciarum robora, pleræq; equitum turmæ mercede conductorum: terra tamen quàm mari aptior manus. Ex his igitur tantis, tam'q; florentibus copijs, rex fortiſſimum quemq; ad eum numerum legit: ut adiuncti naualibus ſocijs ſex millia uirorum efficerent. Ne ùe quemquam eius profectionis pigeret; edicit palàm, ſe omnium primum & nauigationis, & pugnæ ducem futurum. Fit ſtatim ad naues omnium concurſus: certant'q; inter primos conſpici: deſidem, et male de rege meritum arbitrati, quiſquis inter poſtremos inueniatur. Aurum, argentum, ueſtem, precioſam'q; ſupellectilem in naues congerunt: tanquam non ad prælium, ſed ad certam potius uictoriam properetur. Hæc dum ita ab rege geruntur; omnibus, quæ agenda ſupererant, Genuæ paratis; edicta dies fuerat, qua à magiſtratibus, & primoribus ciuitatis præfectus ad naues officij gratia deduceretur. Ea cum illuxiſſet; atrox repente coorta tempeſtas omnia miſcere, ac turbare uiſa: crebro fulgure, & coruſcationibus cœlum ardere: tum deinde uehemens imber, ingentia'q; tonitura, & omnia ſupra modum fœdiora. Inter quæ faſtigium templi; quod diuo Ambroſio ſacratum à palatio publico haud procul abeſt; ita fulmine ictum eſt, ut ſupremum marmor in ſummitate locatum, inde abraſerit, procul'q; ſine ul-

lius læſione tranſtulerit. Qua deformitate moti magiſtratus, miſerunt, qui Blaſium moneret, ne tam fœda die nauem conſcenderet: expectandum tempus, quo proficiſcenti honores à ciuitate haberi poſſint. Cui præfectus. I, renuncia, inquit, præſidi, ac magiſtratibus: cum diui Ambroſii templum fulmine ictum eſt; tum me primum in naui pedem poſuiſſe: honores à me intempeſtiuos contemni: eos reduci, ac uictori mihi reſeruent. Multam per eos dies ſermonum materiam uulgo præbuit, non tàm quòd eius templi ſummitas fulmine uexata eſſet (id enim propè quotidianum eſt) quàm quòd neq; reliquo templo, neq; homine, neq; re ulla uiolata, ita tranſlatus lapis erat, ut non humana arte ſuo loco dimoueri, & alia ſede reponi aptius potuerit. Erant, qui id non caſu accidiſſe putarent: multo q́; minus, quòd nauem ſcandente præfecto, ueluti profectionis initio, id eueniſſet. Erant, qui mortem eius eo portendi interpretarentur: quòd in ea regione habitare ſolitus, ut marmor illud in templo, ita ipſe in ea expeditione ſummum locum teneret. Erant item, qui non uanum id prodigium faterentur, uerùm eiuſmodi portentorum adeo obtruſam, ac reconditam eſſe interpretationem, ut ad ueram eorum ſignificationem uix unquam, niſi peractis rebus, humanum ingenium attingat. Paucorum igitur dierum interuallo; exacta iam maiore Iulij parte, ſoluta claſſis eſt XII, ut diximus, onerariæ: & nauicula inſuper admodum paruula nullius in bello uſus. Verum ſeu ratio ulla ſuaſiſſet, aut flumina intrare, aut præmittere mari nuntios, ſeu neceſſitas imperaſſet è naui in littus deſiliri; hæc illa erat, quæ plenis uelis terram contingere potuerit: adeo nulla non aquæ paucitas tam paruo alueo nimia fuit. Tres præterea trire-

mes claſſi additæ: quas alios in uſus paratas fors obtulerat. Anxiam ciuitatem, reliquasq; omnes aſpernantem curas, magnitudo periculi fecerat. Nam quibus numerare pecunias, & ſingulorum nomina annotare mandatum erat; uix duo millia, & quadringentos ex omni ordine uiros onerarias conſcendiſſe prodiderant: apparebatq; in ſummi diſcriminis dimicationem cum potentiſſimo rege pugnandum eſſe. Nec defuerunt, qui mathematicos, aliosq; quibus ulla prædicendi futura ars ineſſe crederetur; pauidi conſulerent: è quibus Quilicus Saccus è Francorum familia medicus ſimul, ac Matheſis peritus claram ex hoſte uictoriam prædixit: uinctumq; adducendum fore, qui hoſtili claſſi imperaret. Idq; non uerbo tantum, ſed præſcriptis inſuper rationibus; quales ars illa à ſiderum motu colligere ſolet; conſtanter aſſeuerauit. Videri profectò poſſem non tàm negligentiæ, quàm malignitatis obiurgandus, ſi fortiſſimorum uirorum; per quos ampliſſima uictoria parta eſt; nomina reticerem: fierem non in eos modo, ſed in poſteros quoq; periniquus: quos habere æquum eſt, unde & maiores ſuos laudent; & ſe; quòd ex eis geniti ſint; modo meminerint; eorum quoq; uirtutes imitari. Additi fuere Blaſio conſiliarij quatuor, Leonardus Sauinionus, Antonius Syluestris, Lucinus Facius, & Tadeus Zoalius. Nauarchos ea claſſis habuit Eliam Spinulam Nicolai filium, Iacobum Iuſtinianum, Cyprianum à mari, Galeotum Lomellinum, Iacobum Caluum, Carolum Italicum, Lucam Italicum, Ioannem Thomam Nigrum, Andreolum Aurium, Hieronymum Fallemonicam, Iacobum Raibaldum, Ioannem Perdicem, & in parua nauicula Ioannem Federicorum. Trierarchos uerò Othonembonum Imperialem,

Ludouicum Camulianum, & Stephanellum patria Caietanum. Vbi primùm ex oculis ciuitatis ablata claſſis eſt, ſingulas naues adiens Blaſius, nauem, uiros, arma, colluſtrauit: proræ, puppi, medio nauis, propugnaculo mali præfectos conſtituit. Si cui lorica, caſſis, alia ùe arma non ſatis apte ſedebant; ea ſtatim per fabros coaptabantur. Cohortatus poſt hæc ſuos breui, ac militari oratione, oſtendit: quàm facilis eſſet uiris in mari propè natis, atq; educatis, aduerſus inſuetos, ac nauſeantes uictoria. Regem ſui confidentiſſimum grauiter falli, ſi arbitretur fortes uiros, ac uincere ſolitos uultu, et ſuperciliis, et ineptæ multitudinis oſtentatione poſſe terreri: præſtare eos magnitudine nauium: præſtare celeritate: naualium rerum peritia nullis populis cedere. Scorpionem, & ſagittam; quæ mari dominentur; eſſe peculiare Genuenſium telum. Fulgorem uerò regij nominis ita exiſtiment, ut ſciant, non leonis, neq; elephanti uires ex eo nomine acquiri: nec regem quicquam eſſe aliud, quàm hominem in delitiis enutritum, multorum miniſteriis egentem: cui ſi ſeruos, & obſequia demas; eò infirmior cæteris appareat, quòd non pedes, non manus, non reliquum corpus exercere ſolitus, in'q; molli otio torpens, imperare, non facere didicerit. Illud potius cogitent: hoſtilem claſſem multos reges, aut regibus ſimiles habituram: quos aurum, gemmæ, argentea uaſa, præcioſa ſupellex uictorum præmia committentur. Ita dimiſſos fortem quemq; animum habere iuſſit. At rex certior factus aduentare Genuenſes, ſolutis extemplo XIIII. onerariis, undecim'q; triremibus, additis aliquot etiam minoribus actuariis, obuius hoſti procedit: elato quidem animo, & fiduciæ plenus. Augebant illi ſpes non in-

gens modo procerum turba, ac lectiſſimorum militum aſpe-ctus, arma'q; fulgentia, qualia equitum uidemus; ſed quòd etiam renunciatum ei fuerat; Genuenſes inopia naualium ſo-ciorum mercenarios terreſtris militiæ; quos in urbis præſi-dio habere ſoleant; raptim nauibus impoſuiſſe: ea'q; manu; quæ uix unquam uiderit mare; naues compleſſe. Pridie no-nas Auguſti; cum ſeſe procul claſſes mutuo conſpexiſſent; rex prior legatum ad hoſtem mittit Franciſcum Pandonem Campanum, hominem multa expertum, multa callentem: monitum, ut inter ſermones omnia oculis colluſtrans exploret: quæ nauium magnitudo, quantæ copiæ, quæ poſtremo ani-morum fiducia. Deductus ad præfectum, mirari regem ait: quid ſibi uelit hic tantus apparatus: reſponſum legato eſt, na-ues Caietam petere: ut amicum populum indigne oppugna-tum obſidione liberent: non eſſe, cur ſe rex profectioni ſuæ opponat. Tum legatus: Caietam ergo, quam rex fame perdomitam propè iam habet in poteſtate, è manibus eius erepturi eſtis, & hanc illum iniuriam, & æternam gloriæ ſuæ notam laturum putatis? Cui præfectus: certum ſibi con-ſilium eſſe; inceptum curſum nequaquam interrumpere: cui ſi rex non obſiſtat; uim omnem, atq; arma procul abeſſe. Quin potius regi pro una duas eſſe claſſes: quibus in rem ſuam, ſi uelit, utatur. Ad ea non ſine ſtomacho legatus: eſſe regi uires, quibus hoſtium minas contemnat: uelle, ac poſſe iter eorum retro uertere: & niſi ſaniore conſilio uſus ultro curſum deflectat; ſenſurum mox non ſine clade, cuius de-mentiæ fuerit regem omnium inuictiſſimum irritaſſe. Tum Blaſius. I, renuncia regi: has quotcumq; uides onerarias au-ro, ac precioſis mercibus refertas eſſe. Si uincat, ſe, ſuos'q;

omnes ingenti præda ditatum iri. Hoc cum reſponſo dimiſſus legatus, quæ uidit, quæq; audiuit, regi omnia refert. Rex arma expediri, & in poſterum diem accingi omnes ad prælium imperat: eo quidem animo, ac uultu, ut iam uiciſſe putares. Par erat procerum, ac terreſtrium militum fiducia: qui regis alacritatem intuentes, omnem ex ea coniecturam faciebant: neq; credibile putabant, regem terreſtribus, naualibusq; pugnis iuxta aſſuetum, in ullius diſcriminis certamen adduci potuiſſe. At qui maritimas artes callebant, & Boniſacianæ dimicationis meminerant; ratione magis, quàm uana regis elatione mouebantur. Apud Genuenſes omnia cautius, quàm confidentius gerebantur. Nam dum multitudinem hoſtium, paucitatem ſuorum, triremes XI. onerarijs intermixtas, regem bellatorem; ante cuius oculos pugnandum eſſet; cuiuſq; ſuorum adhortatorem, ac teſtem futurum: multaq; eiuſmodi reputabant animo: nec ignorabant, quàm imparis prælij fortunam ſubire cogerentur: nec uel minima negligebant: quibus rerum ſuarum conditionem quantuluncumq; meliorem facerent. Cum poſtridie claſſes propius acceſſiſſent, & iam aliquod erat oculorum iudicium, Nicolaus Specialis; qui tunc regis uice præerat Siciliæ; mentiuntur inquit ò rex, qui dicunt, has naues milite terreſtri è præſidio urbis tranſlato refertas eſſe. Genuenſes ego loricas probe noui: & quos uides armatos tanta ſcandere, ac diſcurrere agilitate; nauales ſocij, non è prætorijs cohortibus milites ſunt. Inter hæc cum claſſes leui uento actæ coiſſent; atrox pugna coorta, tormentis primum, dein miſſilibus, ac ſagittis cœpta: multiq; transfixis armis utrinq; uulnerati. Certabatur ubiq;, ut ſumma ui, ita uaria fortuna. Nam quæ ſin-

gulis ſingulæ hoſtium nauibus congreſſæ erant, haud diffi-culter in ipſo initio impetum ſubſtinebant. At quæ à duabus (nam rex numero ſuperior erat) oppugnabantur; quippe ſi terror quoq; triremium acceſſiſſet; nimiæ molis magnitudi-ne ſæpe laborabant. Occurrerat prætoriæ Genuenſium re-gia nauis inſolitæ quidem altitudinis, lectiſſimorum uirorum robora ferens: magno q; terrore hoſtes perculerat: cum ec-ce alia ſiniſtro lateri inuecta, ſaxis, ac miſſilibus laborantes adoritur: & ancipiti malo trepidantes nouo periculo cogit occurrere. Forte euenerat, ut onerariæ tres è claſſe Genuen-ſi infra reliquas delapſæ, uelut pugna ſubtractæ, nulli iam auxilio ſuis eſſent. Hæ dum tranſuerſo curſu uentos captare, & ſuis coniungi nituntur; in altum euectæ, uulgo creditæ ſunt fugere. Tum rex uicimus inquit ò ſocij: iam quarta pars hoſtium fuga ſalutem petit. Cui nauis magiſter, cito uidebis ò rex: non hos, ut imperiti iactant, fugere, ſed ple-no in nos uelo ſtatim ferri. Quemadmodum prætoria nauis, & quæ aliæ à pluribus ſingulæ premebantur, ancipiti loco poſitæ erant; ita regiarum quædam uelut ſingulari certami-ne congreſſæ, multis iam cæſis, ac uulneratis, uix inſtan-tem hoſtium uim tolerabant: in quibus erat ſecundæ magni-tudinis nauis Ioanni Nauarræ regi attributa. Igitur; quod in eo diſcrimine præſentiſſimum auxilium fuit; iubentur Ge-nuenſes extemplo triremes deſerere, & in onerarias arma-ti tranſilire. Senſit ſtatim tota claſſis nouum ſubſidium, non numero tantum aucta, ſed quod etiam ſauciis, ac feſſis, inte-gri, ac recentes in pugna ſuccedebant. Vbi uerò tres illæ ſa-tis progreſſæ, curſum omnibus uelis in hoſtes reflexerunt; tum demum trepidatio, & metus, & quæcunq; uictis acci-

dere ſolent, ante oculos regijs obuerſabantur. Earum una; cui Iuſtinianus præerat; medio regiæ nauis inuecta, quà parte labrum demiſſius eſſe ſolet; ſagittis, ac ſaxis latus nudauerat: multis'q; uulneratis eum terrorem incuſſerat, ut Alfonſus; qui ſumma in puppi ſemper immotus ſteterat; monitu ſuorum deſcendere adactus ſub primum tabulatum, uelut ſub tectum, haud procul à clauo ſeceſſerit. Iam inclinata uictoria pars magna Hiſpanienſium nauium aut expugnatæ hoſti ceſſerant, aut deditione paciſcebantur: regia ſola uinci neſcia adhuc hoſtes fatigabat. Supereminens illa ſublimitas; lectiſſimorum uirorum inuicta manus, ingentis, & impauidi rex animi, nullis terroribus frangebantur: nullis armis ſubigi poterant. Inter hæc Ioannes Alſonſi frater ſe; ſuos'q; Lomellino dedidit: cuius exemplum ſecuti, qui eatenus reſtiterant; in poteſtatem uictoris omnes uenere. Cum rex neq; nolle dicere auderet; ac plæriq; Genuenſium tamquam re iam peracta in nauem eius tranſiliſſent; repente ab armatis ad hoc ipſum clàm locatis in uincula coniiciebantur. Id cum poſt primos ſecundis quoq;, & item alijs accidiſſet; nemine ex omnibus redeunte; depræhenſum eſt, fraudem haud abeſſe: ita metu, et comminationibus adacti ſunt; qui propugnaculum mali in regia naui tuebantur; præciſis rudentibus antennas cum ipſis uelis deorſum præcipitare: quibus uaſto cum fragore ruentibus, ſagitta quoq; inſolitæ craſſitudinis maiore ſcorpione excuſſa cum ante regis pedes delata, obſtantia quæq; penetraſſet; affuſi genibus eius proceres, orare, ne ſe, caput'q; ſuum ultra periculis obijciat: cedendum fortunæ: uita ſoſpite omnia ſapienti reparabilia fore: ſatis multa eum & fortitudinis, & inuicti animi documenta dediſſe. Nun-

quam diu ſæuire fortunam: & quos extulerit, deprimere, & depreſſos rurſus extollere, mores illi, ac ludum eſſe. Modo ſaluti conſulat: nihil accidiſſe, quod non maximus, ac ſapientiſſimus rex in melius breui commutet. His tandem monitis ceſſit Alfonſus. Nec paucis huius deditionis gloriam ſibi depoſcentibus, præq; omnibus Blaſio, rex ſingulorum nomina, ac fortunas percontatus; ubi didicit ex iis Iuſtinianum eſſe, qui Chio præſiderent; hunc cæteris prætulit. Deditione facta cum ambæ naues coiſſent; iuncto ponte (namq; id maris quies patiebatur) rex ad uictores conceſſit. Vna ex omnibus onerarijs uento ablata eſt: reliquæ omnes captæ. Triremes cum hoſti uictoriam conceſſam cernerent; naui; quæ Petrum Iuniorem Alfonſi fratrem uehebat; latus applicantes, deſilire monitum excepere: ac mox Siciliam deportauere. Hoc maxime modo pugnatum eſt, & quidem acerrime, nonis Auguſti: haud procul à Pontia inſula, horas prope decem. Nam cum tertia diei hora claſſes concurriſſent; paulo ante ueſperam regis deditio facta eſt. Multi eo prælio uulnerati, ſagittis præcipue: quas maioribus ſcorpionibus contortas uix ullum armorum genus repellebat: pauciores pro numero cæſi: ex uictrici claſſe nonaginta haud amplius deſideratis. Capti ſunt præter duos reges Henricus regum frater, princeps militiæ, quæ diuo Iacobo dicata eſt. Ioannes Antonius dux Sueſſæ. Ioannes item Antonius princeps Tarentinus. Ioſias ducis Adriæ patruus. Antonius Rogerij comitis Fundorum filius. Nicolaus Specialis Siciliæ procurator. Didacus in ulteriore Hiſpania comes Caſtri. Ioannes, quem in hac eadem Hiſpania magiſtrum Cantheræ uocabant. Et ne ſingulorum nomina referam; capti ſunt ſupra centum

principes uiri: quos nobilibus populis dominantes ſama celebrabat: capti ſupra ducentos auratæ militiæ equites: quorum pars maxima ex utraq; Hiſpania, pleriq; ſiculi, reliqui Campani fuere. Capti & alij plurimi inſignes nobilitate, atq; opibus uiri: quos excellentiorum amplitudo effecit, ut in uulgus reijcerentur: quibus q; non tam ulla ignobilitas profuit; quam quòd clariſſimis uiris immixti illorum fulgore obſcurabantur. Prædæ uerò tantum partum eſt, quantum nullos unquam uictores una nauali pugna adeptos eſſe uel legamus, uel audiamus. Victo Auguſtus Antonio ſumma rerum potitus eſt. Si uictoriæ fructum cogites, quid erit, quod imperio orbis terrarum comparemus? At ſi ſolam prædæ prædam conferas; ſordeſcet illa profectò, uelut paupertas Antonij, ſi duorum opulentiſsimorum regum, tot q; ducum reges æquantium diuitijs committatur. Superata Carthaginenſium claſſe Luctatius Sicilia, & Sardinia cedere, ac Romano populo tributa pendere hoſtes adegit. Sunt hæc ampliſsima, quis neget? uictoriæ præmia: uerùm ſi uictarum ſola claſsium ſpolia compares; hic aurum, argentum, gemmas, ueſtes, & quicquid ad oſtentationem potentum ambitio parare ſolet; congeſta inuenias: illic tantum ferrum, & arma: quamquam & hic quoq; tanta armorum uis inuenta eſt, ut non uni modo claſsi, ſed pluribus quoq; et claſsibus, & exercitibus affatim ſuffectura crederentur. Adde precia ingentium nauium: adde aurum: quo poſtea libertas captiuorum redempta eſt. Fateamur neceſſe erit, uix ullam naualem uictoriam; aut claritate, & gloria, aut magnitudine prædæ; huic dignæ æquandam eſſe. Illud quoq; notiſsimum eſt: multos in ſumma ante id tempos egeſtate uixiſse: qui ſpolijs hoſtium clàm

locupletati, ingentia ſuis patrimonia morientes reliquere. Blaſius captiuorum multitudinem contemplatus, ueritus ne ſi quid nocte auderent, paucitas inter plures ſatis tuta non eſſet; mitiore conſilio uſus ad quinq; propè millia captiuorum obſcurioris fortunæ in terram expoſuit: in quorum; ut poſtea compertum eſt; turba multi celebres uiri; cum nullo cultu different; facile delituerunt. Rebus deinde pro temporis breuitate compoſitis, utraq; claſſe Caietam petente, oblatum oculis eſt ingens, inſolitum'q; ſpectaculum: cum quinq;, & uiginti raræ magnitudinis naues, quantas reliquus orbis noſter in unum contrahere uix potuiſſet, anguſto loco confertæ littus tenuere: patuit'q; etiam oculorum iudicio, quanti una urbs à uictis ſimul, atq; uictoribus haberetur. Iam nuncij aduerſæ pugnæ regia caſtra compleuerant: neq; obſeſſos quoq; tanta res latuit. Itaq; patefactis repente portis, omne præſidium, ſimul'q; et Caietanus populus erumpentes caſtra adoriuntur: nec ullo quidem reſiſtente omnia diripiunt. Inuentus eſt in eis Barchinonenſis legatus: qui cum paucis ante diebus in leues febriculas incidiſſet; cognita tunc ſuorum clade, immoderato dolore perſtrictus, intra paucas horas expirauit. Ferunt cum in familiari ſermone quidam regis conſilium; ut fit, cum exitus rerum infelix eſt; damnarent; quòd ſe, fratres'q; omnes, tot'q; regibus propè pares principes uelut aleæ obiecerit; reſpondiſſe regem: rationem ſe, non impetum ſecutum eſſe: & quisquis opulentiſſimum regnum uictoriæ præmium recte expendat, haud profecto negaturum eum, magnitudinem periculi à præmii magnitudine longe ſuperari. Quippe expugnata Genuenſi claſſe, extemplo Caietam: uelut ſpe ſublata deditionem facturam

ſturam fuiſſe: nec ullos poſt eam maritimos populos inuentum iri, qui uictori regi portas obſtruere auſuri fuerint. Peritiores tamen ſententiam eius improbaſſe crediti ſunt: id'q; non tàm quòd infauſto euentu pugnatum eſt, quàm quòd affirmabant; ſi paulo concitatius mare fuiſſet; maximam regiarum copiarum partem iacentes, ac nauſeantes ſine ullis armis capi potuiſſe: nec quicquam rebus eius magis fauiſſe, quàm immotam illam, ac uere æſtiuam pelagi malaciam. Nondum tantæ uictoriæ nuntius Genuam uenerat: quædam tamen Plombino, Piſis'q; magnam quandam felicitatem arguentia, incertis adhuc auctoribus afferebantur: quæ adeo ſuſpenſam tenebant ciuitatem, ut non gerendis rebus curia, non iuri dicendo fora, non operibus officinæ uacarent: omnis omnes ordinis, ac fortunæ, arrectis auribus ſtarent: aucupandis rumoribus intenti. Vbi uerò cum uniuerſa claſſe regem quoq; uinctum adduci allatum eſt; tum demum omnes promiſcue domibus effuſi ſenes, iuuenes, matronæ, pueri, liberi, ſerui, ſtrepitu, & clamoribus cuncta complere: tanta quidem licentia, ut in penetralia quoq; curiæ uulgus irrumperet: ut quæ præſes, ac magiſtratus comperta haberent, ea populo impartirent. Cum'q; poſtea in palatina turri, per'q; omnia templa in argumentum publicæ lætitiæ æra perſonaſſent; tanta fuit exultantis multitudinis uociferatio, ac tumultus, ut uix plerunq; ingens ille ſonitus exaudiretur. Fuerunt & qui conuenerint Quilicum medicum ſummis eum laudibus attollentes, quòd & uictoriam polliceri aſtra prædixiſſet, & ducem hoſtium capiendum. Exatiata poſt hæc populi lætitia, more à maioribus accepto, decreta eſt triduana per urbem ſup-

plicatio: ut ſecundarum rerum auctori in primis Deo hono≈
res, ac laudes haberentur. Inter quæ ſancitum quoq; eſt:
ut quandoquidem die; quæ diuo Dominico ſacrata eſt;
parta ingens uictoria ſit; ſupremus quotannis ma≈
giſtratus dona ferens, nonis Auguſti
templum eius ue≈
neretur.

IAM nuntius uictoriæ ad Philippum peruenerat. Ille maxima re peracta, omnia iam ſibi prona, ac facilia ratus uarias agitare animo cogitationes cœpit: ac mox ſuorum duos propere Genuam petere imperat: Ludouicum Crotum, qui moneat claſſem Siciliam diuerti; trepidamq́; & inermem inſulam metu ad deditionem cogi: Marcum Barbamuariam; qui præfectum protinus conueniat, & clàm iubeat Sauonam curſum deflectere: ut rex inde Mediolanum quàm tutiſſima uia deducatur. Ludouico reſponſum eſt, claſſem ad nouum bellum ſine nouo ſtipendio mitti non poſſe. Si occupari Siciliam Philippus uelit, opus eſſe non tam claſſe, naualibusq́; ſocijs; quandoquidem nullus iam mari hoſtis occurſurus eſt; quàm equitatu, peditatuq́; & terreſtris militiæ machinis, ac tormentis: quæ expugnandarum urbium uſus exigit. Paucis deinde interiectis diebus; ubi ciuitas; quæ captiuorum regum pompam, & pulcherrimi triumphi diem ſibi ſpectandum perſuaſerat; tres uidit onerarias Sauonam petentes; ut quid de rege ſtatuendum foret, omne Genuenſibus arbitrium eriperetur; tum demum Philippi omnes odio exardeſcere. Illum gloriæ Genuenſium inuidere: illum maluiſſe Genuenſes uinci: ut uidelicet fracti animis, fracti uiribus, abiecti, ac ſupplices uilium mancipiorum more nullum ſeruitium recuſarent. Accedebat his, quòd cum magiſtratus ciuitatis decreuiſſent literas

uictoriæ nuntias ad amicos reges dare, à præſide uetiti ſunt: aſſeuerante, hæc ipſa iampridem à Philippo regibus ſignificata: & poſſe animum eius offendi: ſi; quæ gloria ſua ſit; eam alij ſibi uendicare uelle uiderentur. Cum præterea Ioannes rex Genuam adductus fuiſſet; iuſſu ſtatim Philippi Mediolanum translatus eſt. Cunctis igitur frementibus inita iam tunc inter pleroſq; fuere liberandæ ciuitatis conſilia. Verùm cum principum ciuitatis quidam Philippo quondam affecti, nondum mutaſſe animos putarentur; horum metus reliquos cohibuit: magis q; optabant homines iugum excutere, quàm audebant. Neq; tamen Philippum res latebat: quippe qui à ſuis; qui Genuæ præerant; crebris epiſtolis certior in dies fieret, quanta in eum odia concitaſſet: quòd accerſitis ad ſe regibus cum potiore captiuorum parte; contemptis non ſine manifeſta ignominia Genuenſibus; uelle uidebatur & de ijs quoq; uelut triumphare. His motus Philippus legationem cum arbitrio ad ſe mitti iubet: uelut apud ſe de captiuorum redemptione paciſcendum foret. Vix q; legatis Mediolanum ingreſſis: nuntiat, non recuſare Alſonſum Sardinia cedere, & tanquam præſidium ad eam inſulam deportandum eſſet; magnæ paulatim copiæ Genuam ueniebant: nemo tamen omnium erat adeo ſimplex, & rerum ignarus, quem tàm puerilis ſimulatio falleret: & apparebat Philippum; quamquam ſuis rebus metuentem; obſtinato tamen animo ſtatuiſſe, Genuenſes ad quæq; digna, indigna q; inuitos, ac reluctantes cogere. Alſonſus Mediolanum deductus; cum perhumane acceptus, habitus q; fuiſſet; poſt paucos tandem dies impetrauit, ut ſibi alloquendi Philippi copia fieret: cum q; in arce portæ Iouis ambo quamuis diuiſi locis habitarent; dux prior obuiam regi,

profectus, nudatus caput, & genu curuatus, Alfonſum ſalutauit. Ille orationem habuiſſe dicitur, qua uirtutes primùm Philippi, inter'q; eas præcipue magnitudinem animi eius, ſummis laudibus extulit. Poſtremo ſe, ſuorum'q; fortunas manſuetudini illius commendauit: adeo'q; molliſſe animum eius, ut; ſi quid uel odiorum, uel æmulationis gloriæ hæſerat; una oratiuncula deterſum ſit. Namq; poſtea & faciles aditus ad eum regi patuere, & Philippus ſæpe uiſus eſt, non modo non grauari regis congreſſu, ſed eo potius oblectari. Fama eſt, Alfonſum iam familiarem duci factum, unica iniectæ formidinis ratione animum illius in ſua uota traduxiſſe: cum ſe de communi utriuſq; fortuna cogitantem dixiſſe ferunt: præuidere Ludouici quondam fratrem Renatum regno Apuliæ nullo ſtatim labore potiturum: nec poſtea tamen quieturum: donec Mediolanum, in'q; reliquas Ciſalpinæ Galliæ ciuitates; aut Carolum regem, aut alios Galliarum duces ſolicitatos euocauerit: atq; ita non ſibi Philippum uiciſſe, ſed Gallis: uel; quod uerius fuerit; Genuenſium uictoriam; quæ ſe obruerit; eandem Philippo quoq; exitium parituram. Id ne eueniat, in manu eius ſitum eſſe: poſſe eum; ſi uelit; regnum ipſi eripere: poſſe rurſum pro arbitrio ſuo id ipſum reddere. His colloquijs ducem ferunt magnopere conterritum, iam tum animum induxiſſe, ut in regnum Alfonſus reportaretur: quippe qui non ignorabat, Ioannem Galeatium parentem ſuum reliquorum regnorum uires non multi facientem, nomen, opes'q; Gallorum ſemper exhorruiſſe. Qui igitur in Alfonſum maxima comitate uſus erat; non minore in eum munificentia uſus eſt. Miſſa ſunt ampliſſima regi dona: inita regibus digna conuiuia: magnifici ludi ſpectantibus regibus editi; ſi quis

captiuorum regi acceptior erat; confictis hic ſtatim cauſis Geza nua Mediolanum accerſebatur. Deniq; id unum Philippus co nari credebatur: ut omnem iniuriarum memoriam recentium beneficiorum magnitudo aboleret. Adeoq; Alfonſi gratia ua luit, ut ſuadente eo ſex prægrandes onerarias parari; quæ ſe cum exercitu in Campaniam reportarent; miſſi Genuam ſint, qui naues conducerent, & nauarchis ſtipendia numerarent. Hæc dum Mediolani, Genuæq; geruntur; legati Caietani ad uenere quatuor numero: qui cum ad præſidem, ſenatumq; introducti fuiſſent; princeps legationis Ioannes Manganella in hæc ferme uerba locutus eſt. Si quot ſingulis noſtrum arti culos natura dedit, tot ipſa eadem linguas præbuiſſet; nec eæ Demoſthenis, aut Ciceronis eloquentiæ cederent; non poſſe mus tamen; illuſtris præſes, uosq; magnifici patres; exi miam, ac ſingularem in nos charitatem ueſtram, ingen tiumq; beneficiorum cumulum uerbis æquare. Nam quid eſt, quod homini hominem debere fas ſit, quod non uobis omnes debeamus? Percurram non tàm ſingula, quàm ſummatim omnia: ut qui propter numerum, magnitudinemq; merito rum in nos ueſtrorum, his digne enumerandis pares non ſu mus; ſi ſummam ſaltem pro ingenioli noſtri mediocritate at tigerimus; non ingrati, neq; immemores uideamur. Primum omnium; ampliſſime præſes, ac patres clariſſimi; priuſquam Caietani populi diſcrimen certum eſſet; inter ipſas procul ab ſentis regis minas; literis noſtris commoti tanta rebus noſtris feſtinatione ſuccurriſtis, ut ueſtrum ante ſubire portus no ſtros præſidium cerneremus, quàm literas ad uos noſtras per ueniſſe didicerimus. Quale deinde præſidium? lectiſſimos ante omnia iuuenes: quos non ſtationes in mœnibus aſſiduæ, non

dies, nocteſq; continuatæ uigiliæ, non diſcurſus, non labores, nulla demum pericula, non poſtremo fames ipſa ſubigere potuerit: cum fide quoq;, & conſtantia non pro aliena ſalute, ſed pro patria potius pugnare uiderentur. Præſidij *uerò præfectum eum ad nos miſſum uidimus, quo uir nemo fuit tota ciuitate præſtantior:* Franciſcum Spinulam *lumen quoddam nominis* Genuenſis*: cuius ea fuit apud nos cum innocentia, tum in tuenda urbe diligentia, ut ne ipſi quidem maiorem optare potuerimus: qui delitiarum; in quibus ab infantia enutritus fuerat; oblitus, parco, et uili cibo; ut res nobis anguſtas obſidio fecerat; contentus, ſæpe etiam menſa abſtinuit: ut aliorum famem exemplo ſolaretur.* In *laboribus uerò, & omni militiæ munere adeo impiger, & uitæ contemptor; ut à gregario milite præiri propè indignaretur.* At *ubi ſuperueniſſe regem, nóſ q; terra, ac mari circumſeptos in diſcrimine uerſari accepiſtis; non ſecus periculo noſtro anxii, ac ſi hoſtis mœnibus ueſtris immineret; pulcherrima claſſe, graui ſumptu, nec minore difficultate comparata; defeſſos iam, & extrema malorum cogitantes, tanta uelocitate ex hoſtium faucibus eripuiſtis; ut inſtructam, ſolutam, aduentantem, procul conſpectam claſſem eſſe, ac mox; deuicto, capto q; rege; ſecundo prælio conflixiſſe, uno fermè tempore acceperimus.* Opes *igitur, coniuges, liberi, templa, patria, nos deniq; nobis cum beneficio ueſtro reſtituti ſimus: pro his; quibus certe maiora nullus unquam populus præſtitit, nullus unquam accepit; gratias actum ad uos miſſi ſumus: ſimul q; gratulatum, quòd ea uobis uictoria contigit, quæ ut immortalem* Genuenſi *nomini gloriam attulit, ita qua fide amicos populos tueri ſoleatis, æterno documento erit.* Reliquum *eſt*

orare: ut quandoquidem per uos conſeruati ſumus annuos poſthac præſides ex uobis habeamus: qui Caietano populo ius dicant: in'q; ſecundis, et aduerſis rebus ſaluti noſtræ conſulant. Nulli nobis utilius præfuturi ſunt, nulli nos ad parendum promptiores habituri, quàm qui incolumitatem, ac libertatem noſtram ſuis periculis redemerunt. Neq; indecorum Genuenſibus fuerit: legitimum; cum è Gallijs aduenerit; regem ciuitatem ope ueſtra ſeruatam, auctam'q;, non ab alio, quàm, uobis tradentibus recepiſſe. Legatis reſponſum eſt: magnum Caietanos fidei, & conſtantiæ in regem ſuum edidiſſe documentum: quippe qui extrema obſidionis mala perpeſſi, nunquam animis ſuccubuerint. Genuenſes eo minus ſuſcepti aduerſus Alfonſum belli pœnitere, quo uerius ſciunt, amiciſſimam ciuitatem non facile immemorem fore, ſe propter arma Genuenſes induiſſe. Mittendi Caietam præſidis conſultatio dilata: ut interim Philippi animus exploraretur. At Philippus cognita Caietanorum petitione, haud ſecus infenſus, quàm ſi plurimum dignitati ſuæ detractum fuiſſet; corripi ſtatim legatos iuſſit: & Mediolanum accerſitos ita habuit, ut uix quicquam à captiuis differrent: donec à Genua miſſi ſunt, qui ius gentium, & ſanctam legatorum auctoritatem Philippo memorarent. Et prædicabant illi quidem, Caietanum populum mercaturæ deditum, togatos, non militares præſides optare. Quòd ſi rectorem ab duce peterent; probe ſcire, cuiuſmodi moribus futurus eſſet, qui mitteretur: in uno Othone Sopo ſatis expertos, qua ſuperbia, ſimul'q; & auaritia cuncta miſcerent, quibus in ciuitates, et populos ius à Philippo *tradi ſoleret. His, et eiuſmodi iniurijs irritatis Genuenſium animis, inita tandem aduerſus eum conſilia ſunt; orto à primoribus*

ciuitatis

ciuitatis initio: qui ſe liberandæ ultro patriæ auctores offerebant. Fecerat ſanè odium domini ingens deſiderium libertatis: adeo ut quamquam ſummæ difficultates, manifeſta'q; pericula ante oculos obuerſabantur; nemo tamen unus inuentus ſit, qui à coniuratis certior conſilij factus, aut facinus improbarit, aut diſcriminis partem capeſſere renuerit. Habebat in poteſtate Philippus Nouas, Gauium, Vultabium, Flaconum. Tres præterea ab eo extructæ arces, Pontis decimi, Montis pulchri, Bulſancti, Porciferam uallem exercitibus eius peruiam, tutam'q; præſtabant. Ita cum ab uſq; Mediolano ad ipſas urbis portas facilis illi tranſitus eſſet; attollebat ſe inſuper intra mœnia arx munitiſſima quidem; quam Caſtelletum nominant; contumacis populi ceruicibus imminens: arduum, ac ſummi laboris opus, ſi expugnanda foret. Hæc cum aliquando coniuratorum audaciam frangerent; tum haud mediocriter exterrebat præſidium ad duo propè millia peditum editioribus locis intra urbem diſpoſitum: cogitantes quàm facile; ſi qui ſuorum uel ceſſarent, uel ſegnius rem exequerentur; pauciores in ipſo conatu à pluribus opprimi poſſent. Subibat animum ille quoq; interdum metus: ne Sauona; quæ duabus arcibus uelut uincta tenebatur; non facile Philippo eripi poſſet. Et Alfonſo utranq; Lucenſis portus arcem, & nobiliſſimam Ilicis turrim obtinente, poſſe à duobus opulentiſſimis dominis urbem mari, terra'q; concludi: atq; ita inteſteſtiuæ libertatis amore patriam deletum iri. Ea tamen omnia contempſit iniuriarum impatientia, et generoſa quædam fœdæ ſeruitutis indignatio. Dum igitur patrandæ rei occaſio quæritur; placuit in primis Opicinum Alſatem; cui urbis cuſtodia commiſſa erat; ferro obtruncari. Videbantur

enim eo ſublato, Philippi milites arma ſtatim abiecturi. Per-opportuna ad id ipſum uiſa eſt dies nona calendarum Ia-nuarij: cum in honorem natiuitatis Dei, & ſeruatoris noſtri; ueſpere; ut mos eſt; palatium populus compleſſet. Verùm ea cum adueniſſet dies; ſiue quòd turbæ promiſcuæ, & ar-matorum circunſtantium aſpectus infregerit animos; ut fit, cum obiecta oculis pericula uehementius mouent; ſiue quòd coniuratis per diuerſa ſubſellia inter multitudinem diſperſis; non idem audaciæ fuit, quod confertis fuiſſet; pœnituiſſe conſilij uiſum eſt: res'q; in aliud tempus reiecta: quamquam is iam erat conſciorum numerus, ut ipſe ſibi pauori eſſet: quippe cum unius hominis uel perfidia, uel leuitas; ne cunctis perniciem, patriæ miſerrimam ſeruitutem, ac propè exitium pareret; haud ſine ratione timerent: itaq; maturari omnia; priuſquam coniuratio proderetur; is quoq; metus adegit. Mit-titur & Seraſanam, qui Thomam Campofulgoſum ordine cuncta doceret: oraret'q;, ut liberandæ patriæ conatus & ipſe pro ſua uirili adiuuaret. VI. calendas Ianuarias cum nouum Philippus præſidem Genuam mitteret Eraſmum Triurceum inter Mediolanenſes opibus, ac rerum geſtarum fama inſignem; effuſa'q; in obſequium eius ciuitas eſſet; con-iurati clàm miſſa nobilium iuuenum manu; portam urbis oc-cidentalem; quam diui Thomæ nominant; deturbatis cuſtodibus occupant: mox'q; ad arma conclamatur. Quæ cum Franciſco Spinulæ; ut conuenerat; propere nunciata fuiſſent (is enim auctorem ſe libertatis profeſſus erat) extemplo ſe armatus do-mo proripuit: paucis comitantibus, quos è fidiſſimis delectos ſecum domi attinuerat. Is obuios quoſq; cohortatus, ut memo-res libertatis, in qua geniti eſſent, memores iniuriarum ty-

*ranni pulcherrimo facinori ne deeſſent, multos trepidantes adhuc, & quidnam molirentur, ignaros, arma protinus capere, cum pudore, tum auctoritate, commouit. Iam tota urbe armatorum globi uiſebantur: iam tumultum populi templis omnibus æra perſonabant: cum Eraſmus, et Opicinus portæ Vaccarum propinquantes, diuerſum capiunt conſilium. Ille, ut Genuenſium rerum imperitior, curſu in arcem contendit. Opicinus, ut qui probè norat non palatium modo, ſed pleraq; etiam urbis loca præſidijs teneri, ratus impetum populi priuſquam in unum coirent, ſubito aduentu opprimi poſſe, citato equo cætera mœnia ingreſſus, ubi in id peruenit forum; quod in quinq; uias ſciſſum, Riuulum, ſiue; ut uulgo loquimur; Foſſatellum nominamus, lapidibus primum è feneſtris appetitus eſt: dein paululum progreſſus ab obuijs obtruncatur: multisq; uulneribus confoſſus, ante templum diui Syri haud longe à puteo exanimis, ac nudus diu iacuit; ne cui cædes eius incerta foret. At milites diuerſis ſtationibus locati; cum præſidem arce incluſum, præfectum cæſum cognouiſſent; paucis admodum obſiſtere auſis; armis intra horas tres abiectis, capti propè omnes, ac dimiſſi ſunt: nulla cæde, nulla præter armorum direptionem cuiuſquam iniuria. Mirum profecto, ac prodigio ſimile: rem maximam, m
aximiq; diſcriminis, intra pauculas horas eſſe confectam: et ita quidem confectam, ut cum multa armatorum millia utrinq; ſtarent; præter unum Iacobum Carbonem; qui ſaxo caput ictus ſtatim occubuit; præterq; unum è ſtipatoribus Opicini, alius nemo ceciderit. Cum iam in urbe tranquilla eſſent omnia; & arce excepta, recenti cuncta libertati fauerent; ſex uiros creari, præſidesq; Genuenſium, & libertatis defenſores nominari placuit. Hi*

fuere Matthæus Lomellinus, Petrus Bondenarius: Franci-
ſcus Spinula, Andreolus Aurius, Nicolaus Iuſtinianus, &
Marcus *à* Caſina: *quibus paulopoſt duos quoq; addidere*, An-
dream ex Marinis, & Ioannem Nauonum. Hos *penes ſum-
ma rerum fuit: ita quidem ut de* XII. *ſenatorum magiſtratu,
cæteriſq; legibus nihil prorſus immutaretur: ſtatimq; tres;
quas memorauimus; arces* Porciferæ *deditione receptæ ſunt:
ac mox ſolo tenus exciſæ.* Sauonenſes *quoq; exemplum ſecuti;
cum eos item iniuriarum tæderet; arcibus ſuis potiti, haud le-
ue momentum rebus nondum firmatis acceſſere.* Sed *nihil
æquè ciuitatem exterrebat, quàm inopia commeatus.* Nam
præter haud magnum numerum; quem Iacobus Aurius Rho-
*do adueniens naui aduexerat; nihil tota urbe uenalis tritici
fuit.* Itaq; *legatus decernitur ad* Eugenium Romanum Ponti-
ficem, Florentinos*q;*, Iacobus Bracellius: *qui oraret recen-
tem* Genuenſium *libertatem iuuarent: edictiſq;, ac literis
palàm facerent: licere* Genuenſibus *ex eorum urbibus triti-
cum exportare: id enim cum re ipſa, tum ſpe, atq; opinione
uulgi plurimum rebus conducere.* Et Florentini *quidem pa-
rata mox biremi, pleraſq; minores naues frumentis onuſtas,*
Genuam *raptim miſere.* Eugenius *tametſi* Philippo *infenſus
credebatur; non tàm quicquam edixit, quàm non prohibuit.*
At Philippus *cum* Genuenſium *motus accepiſſet, non tan-
quam re noua perculſus; quippe ut cui poſt ereptos* Genuenſi-
*bus reges multi prædixerant, indignitatem iniuriarum eos ne-
quaquam toleraturos;* Nicolaum Picininum, *quo in ſtatu res eſ-
ſent, doctum facit: imperat, ut ad opem arci ferendam co-
pias extemplo contrahat: rem omnem in celeritate poſitam
eſſe: & ſi maturetur, poſſe ipſam quoq; ciuitatem ui, aut me-*

tu ad deditionem cogi. Ille pedites, equites q; ex hibernis raptim educere: delectum ſummo ſtudio habere: nihil diligentiæ, nihil laboris remittere: dies, noctes q; expeditionem maturare. Iiſdem ferè temporibus Renatus prioris Ludouici filius, & alterius, quem uita perfunctum diximus; Ludouici frater, Barri, Lotaringiæ, & Andegauiæ dux; ut cognouit Alfonſum captum aſſeruari; cum ipſe quoq; apud Philippum Burgundionum ducem obſes eſſet; quinq; triremibus raptim paratis; uxorem eius Mariam Neapolim præmiſit: quæ effuſa obuiam ciuitate, magna populi lætitia ſtatim accepta, uſq; in aduentum uiri poſtea regno præfuit. Inter hæc Genuenſes cæteris rebus pro tempore compoſitis; cum multa illis ex ſententia fluxiſſent; arcem oppugnare conſtituunt: edicta die, qua populus armatus conueniret: tanta q; potiundæ fuit arcis cupiditas, quo ciuitas metu tandem leuaretur; ut ad quatuor ſagittariorum millia cò ſponte confluxiſſe, qui interfuerunt, affirment. Cum q; à populo ardore ſummo pugnaretur; præſidium contrà ſaxis, iaculis, ſagittis, ſubeuntes pertinaciter arceret; ſcorpionum tamen cum peritia, tum multitudine, breui effectum eſt, ut quiſquis ſe in mœnibus, turribus ue conſpiciendum præbuiſſet; uulnere mox accepto loco excederet: atq; ita defenſoribus magna ex parte ſaucijs, exteriorem arcis murum; qua ad Africum uergit; armati iuuenes ſcandunt: nullo q; comminus congredi auſo, ingentem obſeſſis terrorem iniiciunt: nox prælium diremit. Et iam fama erat, Picininum contractis undiq; copijs moturum: apparebat q; Philippum non tam quid ſibi conduceret, cogitare; quàm frementem, indignabundum q; ad ultionem accingi. Itaq; legati Florentiam miſſi Damianus Pallauicinus iuris ciui

lis interpres, Simon Macia, Ioannes Iuſtinianus, & Lucianus Grimaldus: qui cum Florentinis, Venetisq́; belli ſocietatem paciſcerentur: auxiliumq́; aduerſus Philippum poſceerent. Ne ue Picininus magnos exercitus trahens penetrare ad arcem poſſet; foſſa extra urbem ducta eſt: quæ deſcenſuris hoſtibus obiecta, ab acceſſu loci uenientes arceret. Hæc dum ita geruntur; Nicolaum collectis aliquot equitum turmis, et quindecim peditum millibus traieciſſe Padum affertur: quo metu cum perculſus populus uarijs conſilijs diſtraheretur; uicit tandem arcis iterum oppugnandæ ſententia: ea enim capta omnes hoſtium conatus irritos fieri. Cum itaq; die conſtituta ſenes, iuuenes, pueri, omnis ætas, aut pugnæ, aut ſpectaculo intereſſet; fœminæ quoq; feneſtras, et domorum culmina compleſſent; ut ſpectantes ad pulcherrimum ſimul facinus uiros cohortarentur; ingens armatorum multitudo oculis offuſa, ſcalæq́;, ac reliquæ machinæ ad id comparatæ, præſidium terruere: et primum quidem inter ſeſe diuerſis ſententiis certabant: deinde ubi ſola erat cuiq; cura ſui; et conſilium quiſq; ſuum pertinacius tuebatur; res in altercationem uerſa. Erant, qui in arcem cum Eraſmo confugerant; quos neq; deditæ ignominia, neq; defenſæ decus, aut præmium manebat. Erant item, qui irritatum iniurijs populum metuebant. Nec deerant, qui cogitarent multos aduerſum ſe indignitate rerum prouocaſſe. Hi, omnesq́; eiuſmodi; liceret modo tuto abire; nihil de Philippo, nihil, aut parum admodum de retentione arcis angebantur. Erat contrà præfectus commiſſæ ſibi curæ rationem aliquando redditurus: cuius fama, fortuna, caput; ſi quid male conſultum foret; diſcrimini obiiciebantur. Verum cum pauci à pluribus ſuperarentur; uicit ſententia à

metu profecta: ut furentis impetum multitudinis declinarent: miſſis q; qui deditionis ſpem facerent; conuenerunt: ut niſi intra præfixam diem ſuccurreretur obſeſſis, arcem traderent: eius promiſſi pignus, turrium, quæ arcis erant, unam delecti è populo ciues ſeruandam acciperent: ita compoſita re dies aliquot quies utrinq; fuit. At ubi hoſtiles exercitus haud procul abeſſe nunciatum eſt; rati parum admodum momenti in una trium turrium fore; ſi qua hoſtis irrumperet; in arcem impetum faciunt: paruo q; labore; iam nemine reſiſtere auſo; loco potiuntur: exclamante præfecto, cæteris q; conteſtantibus, non licuiſſe ante ſtatutam diem aduerſum ſe uim experiri. Hoc modo capti, qui in arce erant, in cuſtodiam omnes traditi: quòd Philippus conquiſitos ubiq; Genuenſes; ne legatorum quidem ius excipiens; aſſeruari omnes iuſſerat. Nec mora, admotis extemplo fabris arx exciſa: quòd publicæ libertati officere putabatur. Picininus interea rebus cognitis, Porciferam uallem ingreſſus, cuncta late populatur: fuſis q;, ac fugatis, qui ſe uenienti obiecerant; uſq; ad ipſum littus magno omnium terrore peruagatus eſt: incenſis etiam aliquot ædibus, nauibus q;: quæ ſemiextructæ deduci non potuerant. Ea incendia, paucorum ne ira, an ducis imperio excitata ſint, incertum: ipſe poſt multos ſanè annos nihil horum, aut ſuo, aut Philippi iuſſu, accidiſſe, ſæpe teſtatus eſt. Inde Vulturium conuerſus, pari clade cuncta uaſtauit: abducta q; omnis generis præda, igne tamen graſſatus non eſt. Conſtat eum; cum rediret; in loca aſpera, & impedita ſine ullo peditatu delatum; cum periculi magnitudinem cognouiſſet; uehementer exterritum: paucis q; admodum comitantibus, per auia quæq; citato equo deflexiſſe: neq; trepidationem prius exuiſ-

ſe, quàm curſu perpetuo ſuos aſſecutus eſt. Illud certe nemo inficiabitur: hac eadem die; cum Vulturio rediret; triremium unam littori latus applicuiſſe: expoſitis'q; in terram ſagittarijs, obuiam effuſe fugientibus itum eſſe: neq; illos, aut unquam in hoſtes equos uertiſſe, aut alibi quàm in fuga ſpem ullam habuiſſe uiſos. Ex his poſtea locis in Ligures Ingaunos profectus, palàm fauente Galeoto Carretino; quem Marchionem Finarij uocabant, terras omnes uicinas ingenti populorum clade affecit. Magna illic uis hominum capta: pecora quoq;, ac iumenta, & quicquid in agris relictum erat: quæ omnia Finarium, uelut ad nouum quoddam emporium, comportata. Ibi de precijs direptarum rerum, ibi de captiuorum redemptione tranſigebatur. Nondum fœdus cum Venetis, & Florentinis legati iunxerant: & tamen mille pedites cum aliquot equitibus ex Hetruria auxilio uenerant. Horum ad trecentos Albumingaunum in præſidium miſſi: quòd rumor erat Picininum ad eius oppugnationem urbis accingi. Et ille quidem omnia circum loca peruagatus; quorum quædam etiam ab incolis metu deſerta fuerant; poſt magnam captiuorum turbam, ingentes'q; prædas abactas, ſerius tamen quàm pro hominum opinione, ante eam urbem conſedit. Eſt autem Albumingaunum plano loco poſitum: haud plus quadringentos paſſus à mari recedens: amne alicubi defenſum: cæterum inter Ligures Alpinos antiquitate, ac fertilitate agri admodum nobile. Nicolaus igitur cum equitatu plurimum ualeret; pedite non ita multum abundaret; ijs; quos ſceuæ, et Carreti Marchiones nominant; quàm maximos delectus imperat: atq; ita contracta ſagittariorum multitudine, oppidum oppugnat. Præerat urbi Thomas Aurius Conradi filius, uir fide, ac modeſ-

ratione egregius: prӕter'q; ciues; qui ad tuendam patriam offirmauerant animos; multi etiam agreſtium, qui ſeſe eò contulerant; in mœnibus diſpoſiti, conatibus hoſtium fortiter obſiſtebant. Atq; ita abundante deſenſorum turba; quamquam tormentis muri quatiebantur; quamquam ſcalӕ, uineӕ, cӕtera'q; ad terrendas ciuitates excogitata, oculis obijciebantur; contemnebat tamen omnia uirtus, & obſeſſi populi conſtantia. Reliqua erat Picinino in obſidione poſita ſpes: quòd incluſa multitudo breui credebatur abſumptura quicquid alimentorum intro conuectum fuiſſet. Hac fiducia plenus; remiſſa paulułum oppugnatione; ita omnes aditus ſepſit, ut ne nuntius quidem penetrare in oppidum poſſet. Supererat populo mare: ſed eam quoq; ſpem eripere hoſtes aggreſſi, intra littus, & urbem ſtationes armatorum locauerant. At Genuӕ exciſa iam arce, omni'q; Philippi metu ſublato; cuncta negligentius gerebantur: ſeu quòd octo uiris; dum ſuam quiſq; factionem fouent; multum ex priore concordia deperierat, ſeu quòd ſuapte natura multitudo principantium ipſa ſibi impedimento eſt, ſeu quòd paucorum ambitio ſupremam ducatus dignitatem ſibi deſpondentium, ſana illorum conſilia uarijs artibus eludebat. Cum iam illorum diſcordia, ut exitioſa reipublicӕ, palàm damnaretur; primates plebis; concilio in templum diui Syri contracto; ducem creant Iſnardum Guarcum: cuius patrus Nicolaus difficillimo reipublicӕ tempore ſumma ӕquitate, ac moderatione quinquennium ciuitatem rexerat. Nouo duce in palatium deducto, nullo tumultu, nullis armis comitantibus; prӕſides re tantum audita, nec quicquam ultra ſciſcitati; in ſuas quiſq; domos dilapſi ſunt. Septimo inde die rebus nondum compoſitis, Thomas Campofulgoſus; qui iam

pridem omni ciuitate obuiam effuſa maxima celebritate acceptus fuerat; palatium armatus expugnat: deturbato'q; præſidio, & aduocata ſtatim concione; dux creatur: pleriſq; Iſnardi ætatem cauſantibus: quòd annos duos, & ſeptuaginta natus, impar curis, ac laboribus eſſet. Vixdum ſtatu ciuitatis compoſito, mittitur extemplo cum pecunia, qui in Hetruria militem conducat: quem Philippi conatibus opponant. Delectis dein ſagittarijs Angelum Dentatum uirum militia clarum præficiunt: qui noctu, aut interdiu; quacunq; licuerit; in Albumingaunum uiam inueniat. Hunc cum naui ad littus perueniſſe populus obſeſſus cognouiſſet; præſidio, ciuibus'q; eatenus obuiam progreſſis, ut liber illis in urbem regreſſus foret; è naui armatus deſilijt: ac nullo hoſtium inter duas acies perrumpere auſo, ſuis adiungitur: atq; intra mœnia deducitur. Spernebat iam hoſtiles minas incluſus populus: adeo ut creſcente in dies fiducia ſæpius erumperent: ſæpe uerſis in fugam hoſtibus terga cæderent. Idq; ut illis animos dabat; ita abſumptis iam magna ex parte alimentis imminens rerum egeſtas frangebat. Affuit illis fortuna: & unde minime ſperabatur, auxilium tulit. Nauis Ioannis Perdicis, quæ in prouincia Narbonenſi haud procul Maſſilia onerata tritico fuerat; dum Genuam repetit, eum forte ſcopulum tenuit, quem Alboingauno in mari oppoſitum, Inſulam nominant. Tres quoq; onerariæ; quæ ſub præfectura Bartholomæi Aurij aduerſus Cathalanos bellum geſturæ, maria peruagatæ fuerant; eò item delatæ ſunt. Cognita igitur clauſæ ciuitatis inopia, ſcaphas, aliaſq; minores naues delecta iuuentute inſtructas littori applicant: Bombardulis'q;, ac ſagittis hoſtes ſummouent. Neq; obſeſſi rei ſuæ deſunt, facta'q; eruptione aliquantum tri

tici; quod ſcaphis aduectum erat; urbi importatum eſt. Iam cum Venetis, Florentinisq́; legati; quos Florentiam miſſos memorauimus; addito poſtea illis Matthæo Lomellino, belli ſocietatem aduerſus Philippum in decennium iunxerant. Iam copiæ ad duo fermè peditum millia ex Hetruria mercede conductæ aduenerant. Cum itaq; eius obſidionis ſoluendæ præcipua omnibus cura iniecta eſſet; miſſi ſunt naui Centurionum quidam: miſſi item et alij: qui militarium artium haud ignari, cuncta oculis luſtrarent: littus: urbis ſitum: ſtationes hoſtium: naturam locorum: quibusq́; aduerſus hoſtem uiribus opus eſſet. Nam Picininus poſteaquam ſpes famis dilata fuerat; comparatis multiplicibus tormentis, nullum reſpirandi tempus, ne nocte quidem, circunſeſſis dabat: ſæpe mœnia ictibus quatiens: ſæpe miſſis in auras immanibus ſaxis; dum in tecta domorum cadunt; ipſos ingenti ruina dominos cum ædibus obruens. Addidit his ſæuitiam tanto uiro certe indignam. Valentem enim quendam cognomine Focaciam; quòd ad obſeſſos à Genua literas attuliſſet; ita complicatum ut crura ceruici applicarentur, dein tormento in ſublime excuſſum intra mœnia demiſit. At centuriones, quiq; cum eis profecti erant, cum renuntiaſſent; quamquam omnes ad urbem aditus præſidijs ſepti eſſent; maioribusq́; indies munitionibus ſtationes militum Picininus firmaret; poſſe tamen à mari ad oppidum uiam patefieri; ſi quæ neceſſaria ſint, ſtrenue comparentur; ante omnia ſingulari magiſtratuum cura delectus habitus eſt. Ad ſex millia uirorum pars maxima ſagittariorum ſcripta: ex quibus pleriq; nobilitate inſignes, eam tamen militiam haud aſpernati ſunt. Qui ex Hetruria paulo ante aduenerant, duorum millium numerum explebant: qui

autem obſidebantur, cum hoſte congredi aſſueti, ſupra mille numerabantur. Ingens Scorpionum, ſagittarum, bombardularum, panis, tritici uis comparata: nauium quoq; minorum; quæ admoueri littori poſſent; multitudo in unum contrahitur: cum ecce in hoc maturandæ expeditionis ardore citus nuntius affertur: omiſſa Nicolaum obſidione Finarium uerſus iter flexiſſe: ita ipſo apparatus rumore ſolutum obſidium eſt. Legati poſt hæc cum Genuam ueniſſent; quædam in calamitatum ſuarum ſolatium poſtulantes, collaudata fide, conſtantia'q;, ampla in eum populum munificentia reſpublica uſa eſt: quippe quæ à pleriſq; uectigalibus immunitatem, à terreſtribus, maritimis'q; expeditionibus uacationem, uſq; in annum milleſimum quinquageſimum; hoc eſt annorum quatuordecim; ei magno cunctorum aſſenſu indulſit: ut his etiam beneficijs uaſtationes agrorum, & reliquas clades feſſæ ciuitatis ſolaretur. Inter hæc grauis Genuenſes peſtilentia non in urbe modo, ſed extra quoq; uaſtare cœperat: diſperſis'q; paſſim ciuibus, non erat, unde inopiæ publicæ ſuccurreretur. Placuit, ut Hiſpanis captiuis; quos, ut uiliores, Philippus Genuæ reliquerat; impoſito leui redemptionis precio, ſui cuiq; liberandi poteſtas fieret. Ii conditionem cum haud inuiti accepiſſent; ea tunc pecunia in uſum belli reſpublica uſa eſt. Exitu eius anni; qui trigeſimuſſextus ſupra millenum, quadringentenum'q; fuerat; ambæ portus Lunenſis arces aliquandiu oppugnatæ annitentibus maxime incolis receptæ ſunt: paulo'q; poſt cum præfectus Ilicenſis turris neminem inueniſſet, qui deditionem eius emercaretur; nocte in inſidias præcipitatus, in uincula poſtea coniectus eſt. Ita ea quoq; arx ſine ullis armis in poteſtatem uenit. Namq; Alfonſus Rex contractis

iandudum arcanis cum Philippo fœderibus; incredibili quadam in eum munificentia ducis, non gratuitam modo liberationem, ſed quicquid aliud recuperando conducebat regno, ab eo cum impetraſſet; Mediolano primùm in Lunenſem portum conceſſerat: inde mari aduectus, Caietam; quæ pulſo Renati præſidio regium acceperat; paucis comitantibus ſe contulerat: intentus'q; conciliandis procerum animis; occaſionem præbuerat facilius terras ab ſe relictas occupandi. Initio ſequentis anni dux, ſenatus'q;, & populus dona ferentes in memoriam partæ libertatis, VI. calendas Ianuarias; quæ dies diuo Ioanni Apoſtolo dicata eſt; eius altare; quod in præcurſoris Baptiſtæ templo extructum uidemus; tum primum magna omnis ordinis frequentia uenerati ſunt. Id'q; ut quotannis fieret, lege ſancitum. Eodem quoq; anno Vultabium; quod in alium Philippus tranſtulerat; data pecunia receptum eſt. Iam Renatum à Philippo Burgundionum duce ſolutum, Neapolitani principes; ut Italiam peteret, regnum'q; capeſſeret; impenſius efflagitabant. Alfonſum rebus intereſſe: ambire prouincias: procerum, populorum'q; animos ſibi conciliare: alios largitionibus, ſpe alios, quoſdam pollicitationibus ad ſe traducere. Niſi alius ei rex opponatur; breui fore, ut uacuo regno potiatur. His igitur, atq; eiuſmodi rationibus perpulere cunctantem: ut claſſem, qua traiiceret, in magna; ut credebatur; egeſtate poſitus pararet. Quinq; Maſſiliæ triremes inſtruuntur. Mittitur & Genuam legatus Georgius Pulcini comes: qui petat, licere regi ibi quoq; alias naues armare. Facta legato poteſtate triremes ſeptem reficiuntur, atq; exornantur. Anno igitur M.CCCCXXXVIII. idibus Aprilis, rex quinq; triremibus, düabus'q; ſpeculatorijs Genuam

ueniens, ſummo honore exceptus eſt. Non enim dux modò, ac ſenatus, cæteri'q; magiſtratus obuiam effuſi, ſed uniuerſus inſuper populus adeo compleuerant uias, ut nec lictores ſummouere turbas poſſent: & dux ipſe, ac ſenatus intermixtus plebi, hinc, atq; inde ſæpe oonflictarentur: nec ullum maieſtatis publicæ decus retinerent. Mulieres quoq; ad ſpectaculum egreſſæ, porticus, templa, feneſtras, culmina'q; domorum adeo confertæ inſederant, ut multarum non unius urbis ea multitudo credi poſſet. Deductus eſt rex ſub umbraculo purpurei panni auro intertexti. Vix'q; à portu ad templum diui Laurentij multis horis peruentum eſt. Ibi Ioannis Baptiſtæ ſacros cineres ueneratus, atq; inde Auriorum regionem petens; ijs ædibus acceptus eſt, quæ quondam Iacobi Aurij fuerant, tunc ad liberos eius Lambam, Bartholomæum'q; peruenerant. Quindecim eo loco dies moratus; omnibus iam recte paratis, claſſem ſoluit. Duodecim triremes erant: quibus littora legens in Lunenſem portum deuectus eſt. Cum'q; rumor eſſet, Alfonſum ualidam; qua ei occurreret; claſſem in dies contrahere; triremes duas; quas Ianus Campofulgoſus, quem poſtea in principatu ciuitatis mortuum uidimus; apud Corſicam armauerat; accerſitas ſuis adiunxit: ita aucto nauium numero, Neapolim nullo obuio traiecit: paruo'q; poſt tempore, quòd eum ſumptum perferre non poterat; claſſem omnem ab ſe dimiſit: quaſi ueritus, ne mari non ſatis mature hoſti cederet. Eo quoq; anno peſtilentia ciuitatem inuaſit: Piſis; ut deprehenſum eſt; aduecta. Nam cum miles quidam inde profectus clàm Genuam ueniſſet; ac ſeruam; cui aſſueuerat; contactu infeciſſet; illa in muliercularum grege obuerſata, quarum pleræq; lactantes ſinu geſtabant

infantes; morbum in proximas uulgauit: nutrices extemplo, infantesq́; latente malo correpti, eam labem in domeſticos præſertim diffuderunt: eoq́; uelocius, quòd cum omnis eo tempore ſuſpicio eiuſmodi mali procul abeſſet; ægrotantium curationem refugiebat nemo. Ita cum more repentini incendij domos aliquot ea tabes peruaſiſſet; pluresq́; uim morbi in dies contraherent; pauor primum, dein fuga fieri cœpta: nec ante in uicina urbi loca reditum eſt, quam Autumni frigora ſalubritatem reuexere. Per idem tempus cum armatis aliquot onerarijs Cathalani prædantium magis, quàm belligerantium more, cædibus, ac rapinis ſæuirent; quatuor, easq́; ingentes parari naues placuit. Legendi præfecti cura paucos in dies dilata: quod dux, ac ſenatus; qui duodenario tantum numero conſtat; inuidioſum ſibi fore arbitrati, ſi ſoli præfectum ipſi creaßent: ius, et arbitrium eiuſmodi maluerant cum alijs communicare. Vocatus eſt igitur is magiſtratus: quem; quia tranſmarinarum urbium curam gerit; Romaniæ uulgo nominamus: isq́; item, qui rem pecuniariam curat: poſtremo & is quoq;, quem diui Georgij protectores dicimus. Additi ſunt his & ciues quidam primarij: ut ſexagenarium numerum omnes implerent. Ibi non manifeſto ſuffragio uocum, ſed calculorum occulto, creatus eſt Peregrus ex Promontorio: & claſſi intra paucos dies ſoluta: quæ ad inquirendos hoſtes Gallicum, Balearicum, ac Sardoum mare circunuecta; cum Neapolim uerſus iter intenderet; orta ſeditio eſt: quòd propinquo iam fine ſtipendij, nulla certa mercede nauigare uidebantur: ſi Neapolim uſq; naues ducerentur. Quam ob rem cum nemo eſſet; cui de noua ſolutione ſatis crederetur; ante percepti etiam ſtipendij

exitum; inuito, et nequicquam clamante præfecto; Genuam repetunt. Cum res tam fœdi exempli optimatum præſertim animos offendiſſet; nec ſeditionis auctores cautius agentes, ſeſe niſi paucis admodum crederent; diſſimulari facinus placuit: donec illi nihil ſeuerius contra ſe ſtatui uidentes, ſecurius, ac negligentius uagarentur: ita paucos intra dies iniectæ ſunt in eos manus: & tribus eorum ſupplicio affectis, reliquos metus ipſe coercuit.

CIRCVMAGEBATVR *tertius nouæ libertatis annus: erant'q; omnia circum pacta tranquilla: ita ut non abſurde interpretati uiderentur, qui dixerant:* Ambroſiani *templi ſummitatem nullius damno fulmine deiectam, dominatum* Philippi *portendiſſe à ceruicibus populi* Genuenſis *nullius clade excutiendum.* Perapte *enim* Mediolanenſes *per diuum* Ambroſium*; cui urbs illa dicata eſt; & per faſtigium, dominatus ſublimitatem deſignari.* Verùm *ea temporum otia interrupit* Renatus *rex: qui magnis primum populorum ſtudijs in regno acceptus, ſenſim minui, et cadere haud cunctanter uiſus eſt: ſeu quòd* Alfonſo Siciliam, Sardiniam'q;*, & alia prædita regna obtinenti, impar opibus erat, ſeu quòd cum* Italorum *moribus parum* Gallis *conuenire ſoleat, ſeu quòd ita à natura comparatum eſt, ut minoris opus laboris ſit regna parare, quàm tueri.* Alfonſus *namq; ut uidit* Genuenſium *triremes ab rege dimiſſas; collectis; quas ſparſas habebat; & contractis inſuper aliquot onerarijs, cœpit mari hoſtem urgere.* Cum'q; *parum tutum uideretur quatuor; quas ſupra memorauimus; onerarias* Alfonſianæ *claſſi obiicere; adiunctæ ſunt illis & tres aliæ: quæ iam precioſis mercibus onuſtæ* Galliam, Britanniam'q; *petituræ erant.* Ita *duce* Peregro *ſoluta ſeptem nauium claſſe, nullo obuio* Neapolim *uentum eſt.* Pa*teſacto mari cum quatuor priores aduerſus ſparſos iam tunc hoſtes ſatis eſſe crederentur; eas* Renatus *doctior factus,*

quantum ſibi in maritimo exercitu momenti eſſet; non ma-gna mercede conducit: & Genuam redeunte Peregro miſſus ſtatim Nicolaus Campofulgoſus, ſpinctæ filius adoleſcens ad-modum: qui ijs præeſſet. Tres negotiatoriæ poſt paucos inde uerſus tenuere. Nicolaus in noua præfectura aliquid auden-dum ratus; præceps, ac temerarium primo aſpectu, exitu felix, oppugnandæ arcis Neapolitanæ eius; quam uulgo No-uam uocant; conſilium capit. Eam ualido Alfonſus præſidio firmauerat: uidebatur'q; non omnino urbe eiectus: cum por-tum, ac molem arx imminens in poteſtate haberet. Conſtat, eam opus eſſe primi Caroli, qui Belengarij gener Ludouici Regis Francorum frater, aduerſus Manfredum à Romano pontifice in Italiam quondam accitus fuerat. Namq; is deuicto equeſtri pugna Manfredo, regno Apuliæ potitus, arcem; quam Capuanæ nominant; à Federico Henrici, & Conſtan-tiæ filio Romanorum imperatore paulo ante conſtructam, uelut opus Germanorum contemnens, hanc nouam ædificandam cu-rauerat ſpatij multum amplexus: ut non arcis modo, ſed regia rum quoq; ædium uſum præberet. Iam anni MCCCCXXXIX. non pars magna tranſierat; cum parua Nicolaus manu ar-duam oppugnationem adoriturus, ei primum turri ſagittarios admouit, quam in ora ipſa inter ſcopulos poſitam, diuo Vin-centio ſacratam loquuntur. Cum'q; eam regium præſidium fortiter tueretur; adeo ut etiam primos hoſtium conatus irri-derent; poſteaquam multitudine ſagittarum pleriſq; interfe-ctis, reliquis ſauciis, ita ut ad ferenda arma uires deeſſent, iam ſcalæ admouebantur; dediderunt ſeſe. Elatus eo ſucceſ-ſu Nicolaus, oppugnationem arcis non ultra differendam ra-tus, cohortem unam Renati quadringentorum fermè militum:

naualibus ſociis adiungit. Foſſa deinde præcipiti arcem cingit: excitatis aliquot caſtellis: quo et minore præſidio munitiones tueri poſſet, & ſubſidia; ſi mitterentur; facilius arcere. Operibus perfectis haud exigua Scorpionum uis è nauibus in terram exponitur ex ijs maioribus, aduerſus quos nulla ſit in armis fiducia. Ita ſagittis, ac bombardulis arx eminus oppugnari cœpta: adeo quidem pertinaciter, ut uix pauculæ horæ ad curãdum corpus militi permitterentur: et cadebant quotidie ex præſidio nonnulli: plures accepta uulnera loco excedere cogebant. Neq; naues arci admotæ ſegnius rem gerebant: quarum propugnacula in mali ſummitate locata: altitudinem turrium propè æquabant. Quibus rebus excitatus Alfonſus copias contrahit: magnisq; itineribus in Neapolitanum agrum obſidionem ſoluturus contendit. Interim conatibus eius Nicolaus cognitis foſſas altius effodit: frequentiora caſtella munitionibus addit: quæq; pro tempore aduenienti regi opponi potuere, ſine ulla operis intermiſſione parat. Neq; Renatus aduentantis hoſtis certior factus, rei ſuæ deeſt: ſed Neapolitana iuuentute armata frequens opera inuiſere: comiter milites alloqui: adhortari: dignitates, ac præmia polliceri: nihil eorum negligere: quæ in tali tempore ad confirmandos animos deſiderari ſolent. Et arx quidem interim ſumma ui oppugnabatur: quoq; propiorem eſſe Alfonſum afferebatur, eò enixius, ut in libero ab hoſte tempore, incumbebant. Et iam pleriq; ex præſidio ceciderant; multisq; uulneratis rarior in muris, ac turribus miles conſpiciebatur; & quod poſtea cognitum eſt, alimentorum etiam inopia terrere cœperat; cum ecce unica ſpes Alfonſus perculſis aduenit: præter collectum undiq; peditem, florentes equitum turmas ſecum trahens:

contemplatus q́; munitiones inſtruit aciem ſublimi equo conſpicuus: ut regem adeſſe obſeſſi, obſeſſores q́; iuxta ſcirent. Dein uelut in munitiones impetum facturus, uſq; ad teli iactum propius accedens; ubi ſaxis, ſagittis q́; quosdam ſuorum uulneratos uidit; gradum ſuppreſſit. Poſtea ſtimulante pudore, ac metu; ne deſperato ſubſidio fieret arcis deditio; bis, ter q́; tentata nequicquam irruptione; ſub occaſu ſolis in caſtra rediјt. Ibi omnibus, quæ aduerſus uim ſagittarum pro tempore conquiri potuere, repente comparari iuſſis; ipſe interim orta luce inſtructas acies oſtendens; ne qua ſpes obſeſſis deeſſet; non niſi ueſpere in caſtra ſe recepit. Id cum aliquot diebus factitatum eſſet; paratis iam omnibus; hoſtes rurſus adoriri ſtatuit: magno q́; impetu in opera inuectus; cum munitiones propius intuens nihil non firmum, et inacceſſibile cerneret; iam q́; multi ſuorum, & promptiores caderent; receptui demum cecinit: et abiecta ferendi auxilij spe, in interiora Campaniæ loca; unde uenerat; reuerſus eſt. At præfectus regius omnia expertus; cum neq; in ipſo quidem rege præſente quicquam opis eſſe uidiſſet; pactus, ut præſidio incolumi abire liceret, arcem tradidit. Eius rei fama per uniuerſam Italiam uulgata, et Renati regnum magnopere firmare uiſa eſt: & in expugnandis arcibus Genuenſium uirtutem celebrare. Nicolai quoq; induſtriam, ac labores; cum proceres regni, tum Renatus ipſe, magnis ſæpe laudibus prædicauere: miſſis etiam ad ducem, & ſenatum literis: quibus fortia Genuenſium facta teſtarentur. Verùm quantum, arx nobiliſſima contra omnium opinionem breui recepta, Renati res longe meliores feciſſe uidebatur, tantùm eius inopia magis, magis q́; in dies detecta, frangebat animos ſuorum: quip-

pe ubi palàm fuit, nullum à Carolo Francorum Rege, alio ue principum Galliæ, neq; militis, neq; pecuniæ auxilium iam ex pectari poſſe: ita eo anno, & duobus fermè ſequentibus; à Iacobo Caldora; cui ex proceribus regni maximæ tum uires erant; & à Genuenſibus maritimas impenſas ſubeuntibus, res eius ægre, magno'q; labore ſuſtentatæ ſunt. Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo cum magiſter ordinis Minorum Guilielmus multa prece contendiſſet: licere ſibi, ut ex toto orbe conuentum fratrum ſuorum ageret Genuæ; erogatæ ſunt ex ærario publico libræ quingentæ ſupra duo millia: quibus ad perferendum haud leuium impenſarum onus iuuaretur. Et Eugenius quartus Romanus pontifex; data culparum uenia, cuiuſmodi Aſſiſium habere creditur; id concilium celebrius effecit: quippe cum ex regionibus non propinquis modo, ſed etiam procul admodum poſitis, hominum omnis ætatis, ac ſexus ingens quotidie multitudo fiducia ueniæ eò confluerent: adeo ut etiam à Corſica magna præſertim fœminarum uis, quæ nunquam continentem uidiſſent; Genuam delata ſit. Ita ex incredibili propè turba; ſingulis pro facultate aliquid conferentibus; præter impenſas largiter ſuppeditatas hoſpitibus fratribus; Diui Franciſci templum; cuius in contemptu diuitiarum gloria poſita eſt, plus; æquo ditatum eſt. Per idem tempus cum mortuo Caldora Renati res deterior in dies fieret; annitente Eugenio; qui Alfonſo palàm infenſus erat; fœdus cum eccleſia Romana ictum eſt: in quo conuenit, ut pontifex equeſtri exercitu, Genuenſes mari aduerſus Alfonſum bellum gererent. Igitur ne inopia pecuniæ apparatus claſſium moraretur; additum eſt mercaturæ ueſtigal centeſimæ. Triremes partim ædificatæ nouæ, partim ueteres re-

ſectæ: contractæ onerariæ: quæ ei bello idoneæ uiſæ ſunt: dux claſſis creatus Ioannes Campoſulgoſus omnium fratrum minimus: idq́; non ſine contentione, ac manifeſta multorum offenſa. Quippe repetentes memoria ſuperiorum temporum mandatas dignitates, rurſumq́; computantes, quibuſnam plebs, quibusq́; præfecturis nobilitas perfuncta fuiſſet; dictabant, eius claſſis imperium homini plebeio non deberi. Idq́; uel ex eo perſpicuum eſſe: quòd poſtremæ Blaſius Axeretus uir item plebeius præfuiſſet. Quòd ſi minorum quoq́; claſſium habenda eſſet ratio, præceſſiſſe pauloante Peregri ex Promontorio uiri plebei præfecturam. Sed omnium grauiſſime (ut res docuit) offenſus Ioanneſantonius Fliſcus Nicolai filius: qui id munus ita ſibi ipſe animo deſtinauerat, ut iniuriam uocaret: ſiquis in eo ſe illi adæquari uellet. Fremens igitur, ac minabundus exceſſit urbe: Turriculam caſtellum uiginti ferme millibus paſſuum inde poſitum petens: conſilia, conatusq́; omnes in perniciem Thomæ uertere paratus: moxq́; cum Philippo Mediolanenſium duce in exitium eius conſentientes, montanos primùm, deinde Buliaſci, Sauli, Recbi, Rapalli, uicinarumq́; uillarum incolas, ſpe, largitionibusq́; corruptos in arma corripuit: & contracta haud contemnenda manu, nunc ad urbis uſq́; conſpectum excurſiones facere, nunc prædatoriis lembis incurſando, mare infeſtum reddere: nihil demum maris, aut terrarum pacatum relinquere: quod inter quartum ab urbe lapidem, Clauarumq́; interiacet. Quibus rebus anxius Thomas mercenarium militem conducit: naues actuarias; quæ mare tuerentur; inſtruit: loca urbis editiora præſidijs firmat. Neq́; Alfonſus fœderis aduerſum ſe contracti gnarus rei ſuæ deeſt. Nam præmiſ-

ſis triremibus; quæ Genuenſe littus incurſarent; eum mino-ribus nauibus terrorem iniecit, ut metu ſubductæ annonæ pri-mum caritatem augerent, deinde inopiam gignerent, Et Ga-leotus Carretinus; quem Marchionem Finarij uulgo nomina-bant; rebus Alſonſi enixe fauens, non exules modo Thomæ recipere, ſed claſſes quoq; regias portu, commeatibus'q; iu-uare. Aduerſus quæ cum non niſi graui ſumptu reſiſti poſſet; pecunia omnis; quæ in parandas contra regem ex fœdere na-ues coacta erat; in reprimendos terra, mari'q; orientes mo-tus abſumpta eſt. Quòd cum Eugenius reſciſſet: quippe qui ſupra quatuor equitum millia aduerſus Alſonſum iam præmi-ſerat; graui indignatione accenſus, ſe à Genuenſibus eluſum dictitans, ita exarſit, ut nulla poſtea ratione ſatis placari po-tuerit: oblitus'q; beniuolentiæ, qua in Genuenſes uſus fuerat, multis ſæpe documentis teſtatus eſt, eius iniuriæ memoriam ſibi penitus inſedíſſe. Iiſdem ferè temporibus inter Philippum Mariam, eius'q; fautores, Venetos'q;, ac Genuenſes, & Florentinos, renouata pax eſt: annitente Franciſco Sfortia: ad quem belli, ac pacis arbitrium, uelut ad communem ami-cum, detulerant: cum hinc copiarum dux, illinc gener iam eſſet, iuncta ei matrimonio Blancamaria unica Philippi filia. Ea pax quemadmodum pleriſq; Italiæ populis quietem, otium'q; paritura credebatur, ita opes Thomæ uehementer infregit. Nam cum prius huius ſocietatis auxilijs in rebus dubijs iuua-retur; tunc contracta pace ſoli ſibi relictus, ægre admodum aduerſariorum conatus repellebat. Inter hæc deſerto propè ab omnibus Renato, cum multi populi ſpe, aut metu ad Alfon-ſum deſciuiſſent; obſidebatur terra, mari'q; Neapolis: & ſi quando miſſæ Genua naues clauſum aperiebant mare; mox

illis abeuntibus redibat obſidio. Erat igitur inexplebilis im-penſarum uorago ter, quaterq́; quotannis armatas naues Neapolim repetere: quæ militem, triticum, cæteraq́; obſeſſæ ciuitati neceſſaria importarent. Ingraueſcentibus igitur in dies malis; quæ clauſos populos torquere ſolent; adeo rerum omnium inopia creuerat, ut pro numero frequenter hominum panis in familias diſtribueretur. Fama eſt, mulierculam ex infima plebe Renatum adiuiſſe orantem, ut ſibi, paruulisq́; filijs fame pereuntibus ſuccurreret. Eam toruo ab rege uultu repulſam ad Alfonſum miſiſſe: qui indicarent, eſſe ueterem aquæ ductum multorum ſeculorum uetuſtate adeo neglectum, ut; cum eum ſuperingruens terra contexerit; non uiuentium modo, ſed auorum quoq; memoriam effugerit: poſſe eum; ſi uelit; hoc ueluti cuniculo in urbem penetrare: eſſe mulieri intra domum puteum, in quem is aquarum ductus exitum habeat. Polliceri daturam ſe cum fide operam, ut quicunq; ea intromiſſi milites fuerint, in ſua domo ſine periculo la-teant. Alfonſus oblatam ſpem haud contemnendam ratus, ubi monſtrato loco, effoſſaq́; altius humo cryptam inſpexit; pau-cis centurionum rem aperit. Hortatur, ut delectis militibus ſecum aſſumptis facinus ut memorabile, ita extra pericula poſitum aggrediantur. Nullas à muliere inſidias metuendas: quippe quæ in extrema fame faſtidita ſuam, ac ſuorum mortem bono illi regi obiectet. Addidit & ingentia promiſſa: ut cum nobiliſſimæ urbis, & quæ uere tanti regni ſit caput, potitus fuerit; quod ut mox contingeret, in eorum manu po-ſitum eſſe; haud dubitarent, nunquam ſe immemorem fore: eos illos eſſe, quorum uelut humeris in regium ſolium deporta-tus fuiſſet. Excitabantur his uocibus centurionum animi: ſed

terrebat

terrebat meatus ſubterraneus luce carens, adeo q́; anguſtus, ac depreſſus, ut non niſi ſinguli, ii q́; proni, & more quadrupedum genibus, manibus q́; reptantes moueri poſſent. Augebat metum, quòd in plenam hoſtium urbem; paucis, nec ſatis armatis, euadendum erat: quippe quos nec ſcuta, nec ſcorpiones ferre, anguſtiæ loci ſinebant. Sunt, qui affirment, non prius milites cloacam illam ſubire auſos, quàm miſſus in domum mulieris; qui omnia oculis colluſtraret; fidem fecit, fraudem, ac periculum procul abeſſe. Ita trecenti fermè milites præmoniti ab rege, quid fieri uellet, clàm ad mulierem peruenerunt. Ipſe gnarus proximos muros ab iis occupandos eſſe (neq; enim procul domus aberat) orta luce diuerſam urbis partem magno clamore aggreditur: ut conuerſis illuc omnium oculis, uacuam defenſoribus regionem latebris egreſſi facilius caperent. Oppugnatur interim acerrime urbs, haud aliter quàm ſi ſubruendus murus, et per ruinam irrumpendum foret. Et iam extracta in aliquantum diei pugna; ſubindignari ſibi Alfonſus cœperat: quòd ignotæ mulierculæ nimis pueriliter fidem habuiſſet: quòd rex tàm multa expertus fœminæ dolis circunuentus eſſet. Ferunt tanquam receptui cani iuberet, dixiſſe eum: nolo ultro homines cædi: cum ecce in deſtinata parte murorum clamor tollitur: ſigna q́; Aragonea late fulgentia conſpiciuntur: ita eò cunctis accurrentibus reuulſa porta, exercitus omnis in urbem irrupit. Hoc maxime modo capta Neapolis eſt anno à natiuitate Ieſu Chriſti domini noſtri Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimoſecundo, octauo idus Iunij: poſt quam in eam Renatus peruenerat; anno quarto, paucis q́; præterea diebus. Renatus cum principibus Gallis, & Genuenſium quidam inter tumultum

elapſi in Arcem Nouam confugerunt. Alfonſus ne gloriam ſuam feſtinatione minueret; aliquot dies ab acceſſu captæ urbis abſtinuit: donec paratis omnibus, quæ ſpectaculi pompam augere poterant; imitatus antiquorum triumphos, parte murorum diruta, curru ſublimi urbem ingreſſus eſt. Hæc ubi Genuam perlata ſunt, ne rex amicus; pro quo ſummos labores, & aſſiduos ſumptus Genuenſis populus quatuor ſine intermiſſione annos pertulerat; in ſupremo periculo deſertus uideretur; armari placuit onerarias duas: quæ triticum, ac præſidium in arcem deportarent, regi'q; parerent. Eò cum ueniſſent, Antonium Caluum; cui multum pecuniæ Renatus debebat; arci præficit, præmonitum, ut niſi intra conſtitutum tempus noua ad eum ueniant ſubſidia; de arce tranſigat arbitratu ſuo. Ipſe iiſdem nauibus Piſas deuectus, inde Florentiam petit: qua in urbe paucos moratus dies, poſteaquam nihil auxilij ad repetendum Regnum promitti uidit; abiecta omni rerum Italicarum ſpe, Maſſiliam, unde initio uenerat, mari reuerſus eſt. Antonius ubi præſcriptum tempus effluxit; pactus cum Alfonſo, accepta'q; ab eo pecunia; quantam Renatus debebat; arcem tradidit. Per id tempus cum factio Thomæ aduerſa magis, magis'q; in dies coaleſceret; et ipſe nulla iam externa ope fultus, mari Alfonſum, terra Philippum inſidiantes haberet; coniuratum eſt in exitium eius: conuenit, ut Ioannneſantonius Fliſcus contractis nauibus piſcatorijs ſilentio noctis clàm urbem ingrederetur: tum interiores coniurati correptis armis, & copijs eius adiuncti, in palatium publicum impetum facerent. Ea cum ſerius exequerentur; et ad multorum iam cognitionem res deueniſſet; non defuerunt, qui omnia Thomæ pateſacerent: adeo ut diem, horam, locum,

totus demum rei ſeriem planè didicerit. Difficiliorem ad cre-dendum fecerat eum: quòd eiuſmodi pleraq; multis ſermoni-bus ante iactata, uana expertus erat. Et cum bis, ter q; fru-ſtra timuiſſe reminiſcebatur; creuerat tandem contemptis rumoribus animi ſecuritas. Cum tamen XVI. Calendas Ia-nuarias alij, alij que ſuperuenientes affirmarent, nocte inſe-quenti irrupturum eſſe urbem Ioannemantonium; ea maxi-me parte, quæ diui Nazarij templo proxima collapſis mœni-bus nudata, per rupes uelut gradus quosdam, facilem præbet etiam armatis aditum; peruicerunt, ut ibi ea nocte custodes locarentur: qui cum ad ſextam uſq; noctis horam uigilaſſent; ubi uiderunt Africum flare; qui uenturis obſtabat; ſimul q; quòd erat immitis frigore nox; ſtationem deſeruerunt. At Ioanneſantonius piſcatorios lembos armatis complet: nactus q; ex Sumia uentos (Aquiloni nanq; ceſſerat Africus) tribus horis Camulio Genuam peruenit: et paucis admodum præter coniuratos aduentum eius ſentientibus, interiora urbis clàm penetrat. Mox excitata ſtrepitu, et clamoribus ciuitate, pa-làm fuit, & Fliſcum aduenisse, & aduerſus Thomam arma corripi. Luce orta cum armatorum globi undiq; uiſerentur, primores ciuium; qui conſilio, qui q; auctoritate ualebant; in Diuæ Mariæ templum; quod uulgo Vinearum uocant; con-uenientes, de publico ſtatu, de q; patriæ ſalute conſultant. Terrebat ante omnia Philippus Mediolanenſium dux: qui nul-lo bello implicitus, Genuæ recuperandæ omni cura imminere credebatur: cuius rei oblatam ei occaſionem uidebant: ſi manen tibus diſcordiis ciuilibus intra urbem dimicandum foret. Itaq; legatos ad Thomam mittunt: qui oſtenderent, concitato iam ad arma populo, non poſſe ei ſine magna patriæ pernicie uicto-

riam contingere:ſimulq́; conditiones ferrent,quibus rogaretur principatu cedere. Thomas, ſiue ſpe ſuperuenturi auxilij, ſiue quòd impendente graui diſcrimine prudentis non erat uel admittere temere oblatas leges, uel repellere; eas dedit reſponſiones, quæ nouam rurſus conſultationem exigerent. Itaq; dum conſulendo, eundo, redeundo tempus teritur, præceps in occaſum dies ferebatur. Tum Ioanneſantonius, & cum eo armatus populus palatium adoriuntur: nulloq́; auſo reſiſtere per ocium capiunt. Thomas cum ſe in turrim; quam Horarij nominant; recepiſſet; fide accepta Raphaeli ſe Adurnio dedit: ac mox prius iam tenebris: in Adurniorum ædes deductus eſt. Poſtridie eius diei cum principes ciuitatis in ædem diuæ Luciæ conueniſſent, coq́; accerſitus eſſet ſenatus; placuit, ut ſex uiri; qui in tumultu pauloante nominati fuerant; ſex item alios ſibi adiungerent: quos ipſi ex omnibus legiſſent: ſimulq́; cum ipſo ſenatu; qui duodenario quoq; numero conſtabat; octo uiros in bimeſtre ciuitati præficerent: quos libertatis præſides uocarent. Re maturata, creati ſunt Raphael Adurnius, & ciuilis, & pontificii iuris admodum doctus, Ioanneſantonius Fliſcus ex ordine equeſtri, Paulus Albarianus, Andalo Malruſus, Lamba Aurius, Baptiſta Spinula, Meliadux Syluester, & Dominicus Ricius ex Bargalia. Quorum magiſtratus; cum ipſi inter ſeſe parum concordes eſſent; uix uſq; in quintum calendarum Februarij diem productus eſt. Namq; eo die, nec ſine contentione quidem, et armis, dux creatus eſt Raphael ipſe: cuius patruus Antoniotus, et pater Georgius duces quondam Genuenſem rempublicam rexerant: ille diuturnitate principatus illuſtrior: pater ciuitate, & moderatione memorabilior. Cum hinc Philippi ducis in-

ſidiæ, illinc Alfonſi claſſes, & arma ſuſpenſam metu ciuita=
tem diu tenerent; anno tandem milleſimo quadringenteſimo
quadrageſimo quarto, ſeptimo idus Apriles, iuncta cum rege
pax eſt, non tam honeſta quidem, quàm temporibus accom=
modata: cum & paruis maria patefaceret nauibus, & an=
nonæ, aliarumq́; rerum copiam ſimul, ac utilitatem afferret.
Hac in pace cum de aurea patera quotannis regi mittenda con
uentum eſſet; ut eius animus eo munere delinitus, & me=
moriam exueret, quod deuictus, captusq́; fuiſſet, & fœdus
attentiore cura ſeruaret; contrà rex omnia uertit. Namq;
miſſum donum accepturus, non niſi præſcripta hora, præ=
ſcripto loco afferri ſinebat. Stipatusq́; procerum, & uulgi
turba, multisq́; ad id ſpectaculum uelut ad triumphi
pompam inuitatis, delatorem muneris opperiebatur.
Qua indignitate offenſis Genuenſium animis, an=
te quadriennium adeo turbata ſunt omnia,
ut neq; in tempore donum daretur, neq;
à mutuis abſtineretur rapinis: &
manente tamen pacis nomine,
cuncta citro, ultroq́;:
ut in hoſtes
agerentur.

DE CLARIS GENVENSIBVS AD REVERENDISS. PATREM LV-*douicum Piſanum Ordinis Prædicatorij Iacobi Bracellii Genuenſis libellus.*

PETISTI *à me, reuerendiſſime pater Ludouice, ut eos Genuenſes; quos uel ob inſignem aliquam uir-tutem, uel ob egregium aliquod fa-cinus memoria dignos putauero; poſteritati commendem: præte-riens ſanè uiuentes: ne amori, odio, alij ue affectui aliquid forſitan tribuiſſe uideremur. Facile erat parere præcepto tuo; ſi ſcriptoribus rerum noſtrarum paulo diligentius cura fuiſſet ea poſteris tradere, quæ lex etiam hiſtorici poſtulabat. ſed cum illis ſolum fuiſſe ſtudium uideamus nudam ueritatem ſequi; & ſimplici quodam dicen-di genere bellorum, aliarumq́; rerum exitus mandare me-moriæ (omnia enim in laudem reipublicæ contulerunt: nec in enarranda geſtorum ſerie, aut ijs exornandis; qui ea feli-citer geſſerant; ulla ex parte laborarunt) nullum mihi in euol-uendis annalibus noſtris auxilium poſitum eſſe putaui. Quam ob cauſam, eorum tantum nomina, quos uel aliarum gentium ſcriptores laudibus efferunt, uel frequens hominum ſermo ad-huc admiratur, & prædicat; quantum una lucubratione con-ſequi potui, in unum corpus redegi. Nolo tamen de populo meo male id ſuſpiceris: quia clarorum uirorum exiguus tibi numerus oblatus ſit. Ille quidem ingens, maximusq́; depre-*

henderetur: ſi diligenti, & otioſo homini prouinciam dele-gaſſes. Incipiam igitur, unde æquiſſimum eſt, à pietate, & innocentia: in quibus omnis ueræ uirtutis columen, ac ſtabi-limentum poſitum eſt.

R*omulum, Felicem, Syrum, & Genuenſes fuiſſe, & Genuenſis urbis epiſcopos, liquet: qui præter uitæ ſanctitatem, ſingulares q́; uirtutes; his etiam prodigiis claruere, ut intra beatorum agmina, & cœleſtis aulæ principes, digne annu-merati ſint.*

D*eſiderius quoq; natione Genuenſis diuina diſpenſatione ex indocto agricola mox Ligonenſis epiſcopus factus, & pro ſalute populi ſui martyrium paſſus, tanta ſanctitatis fama apud Lingones Galliarum populum ex his; quos nunc Burgundio-nes appellamus; tam q́; manifeſtis miraculis celebratur, ut par ferè apoſtolis habeatur.*

M*ultos ſingulæ ſæpe uirtutes claros orbi reddidere. In Sinibaldum Fliſcum: eum; qui Innocentius IIII. poſtea di-ctus eſt; ita omnes uirtutes natura congeſſiſſe uidetur, ut neq; omnes enumerare, neq; quid illi defuerit, inuenire facile ſit. Singularis tamen prudentia, conſilia q́; humanum ingenium tranſcendentia, uiam illi non ad pontificatum modo, ſed ad gloriam quoq; parauerunt.* N*am cum Federicus II. aſtu ſi-mul, ac uiribus formidabilis, implacabili odio eccleſiam Dei perſequeretur; defuncto q́; pontifice maximo nemo inuenire-tur; quem infeſtiſſimo hoſti digne opponerent; & ob id Ro-mana ſedes aliquamdiu uacaſſet; admirabiles in homine uir-tutes effecerunt, ut omnium conſenſu pontifex crearetur. Is cum animaduerteret, omnes ſibi exitus præcluſos; Petri q́; nauiculam maximis periculis obiectam eſſe; triremes uiginti*

clam Genuæ parari curauit: qua claſſe Tyberim ingreſſa, ab Roma Genuam peruectus eſt. Inde Lugdunum petens, atq; ibi cõnuentu totius occidentis habito; quo etiam regum quidam acceſſere; damnatum Federicum abdicauit imperio, plurimum illi uirium ſubtrahens: tanta q́; prudentia rebus conſuluit, ut pontificatu ad ſolitam amplitudinem reſtituto; qui uelut profugus Gallias petierat; uelut triumphans in Italiam redierit.

Nec doctrina, bonarum q́; artium ſtudia Genuenſibus defuere. Nam & Ioannes Balbus ordinis tui; inter cætera ab eo præclare ſcripta; laborioſum opus, quod Catholicon uocari uoluit, non ſine laude perfecit. Et Simon Monachus ex Arabica lingua in latinum ſermonem multa conuertit: adeo quidem docte, & eleganter, ut ſi eum tollas, magna ſanè medicinæ pars ſuis uelut inſtrumentis exarmari putetur. Vrſus quoq; haud inepto carmine pleraq; cecinit. Andalonem; quem de Nigro uocant; multiplex certe doctrina, ſed mathematicarum præcipue artium cognitio adeo commendat, ut haud ignobilis poeta Boccatius, nunc uenerabilem, nunc præceptorem ſuum nominare non erubuerit. Horum tamen nemo Innocentium æquauit: qui eo quidem acumine ſcripſit, ut qui legunt, cœleſte potius illi fuiſſe ingenium prædicent, quàm humanum.

Bellicæ rei laude, maritimis q́; triumphis plurimi celebrantur: è quibus Obertus Aurius; præter hoc quòd ciuitati ſancte, ac iuſte præfuit; Piſanam claſſem; qui populus gloria rei bellicæ terra, mariq́; pollebat; mira felicitate ſuperauit. Aurius Lamba in ſinu Illyrico bellum gerens deuicta iam propè Venetorum claſſe; cum nunciatum ei eſſet filium fortiter

dimicantem cæſum fuiſſe; undis (inquit) eum commendate: nobiliſſima enim ipſi ſepultura continget: quòd pro patria ſtrenue pugnantem, & iam uictorem maria ſeruabunt. Paganus *et ipſe quoq;* Aurius *eo memorabilior, quòd cum* Græcorum, Aragonenſium, Venetorum *q; uires in unum contractas, haud procul à* Chalcedone *magna cæde fudiſſet; interiecto poſtea tempore eosdem* Venetos *ſine cæde, ac ſanguine mari expugnauit, ac cœpit.* Nec Lucianus Aurius *ſilentio prætereundus eſt: qui ſinum* Illiricum *diu populatus; cum turpi nihilominus egeſtate omnis exercitus maceraretur; quotcunq; illi erant, argentea pocula egentibus dedit.* Poſtremo *cum remigem fame laborantem, & ob id opem miſerabilius petentem obuium habuiſſet; fibulam cinguli præcidit, & inopi dedit.* Quibus *artibus, & audientem imperio exercitum habuit, & pari triremium numero cum hoſte congreſſus egregia uictoria potitus eſt.*

Nicolai Spinulæ *facinus eo clarius fuit, quòd qui impar hoſti uiribus erat, pro uiribus artem reperit, qua ſuperior fieret.* Nam *cum cerneret claſſem* Venetam *numero triremium longe præſtare; ſuis in unum contractis iuſſit multarum tranſtra conuelli: his q; inter ſeſe colligatis effecit, ut area, campus q; uerius quàm multitudo nauium uideretur.* Illas *deinde in fronte collocans ad hoſtium impetus excipiendos, & fugam ſimulans, uenientes ſine ordine* Venetos, *et paucitatem illam* Nicolài *contemnentes, ita eluſit, ut priores ante expugnauerit, quàm poſteriores opem ſuis ferre potuerint.* Hac *igitur arte profligatis hoſtibus, et ſupra uiginti triremibus captis, parua admodum ſuorum cæde nobilem uictoriam conſecutus eſt.*

Sed horum omnium gloria (ut reliqua mortalium opera)

paulatim conſeneſcet: Gulielmi Embriaci nomen ſacra pa-ropſis aboleri non ſinet. Fuit uir iſte non animi tantum ma-gnitudine, ſed quadam inſuper expugnandarum urbium pe-ritia apprime præditus. Itaq; cum exercitus Chriſtiani Pa-læſtinam peruagarentur; & oppugnare Cæſaream urbem tunc munitiſſimam ſtatuiſſent; Gulielmus; qui Genuenſi claſ-ſi præerat; primus omnium mœnia conſcendit: intra'q; ur-bem primus penetrauit. Quamobrem capta ciuitate, optio præ-miorum ut fortiſſimo ipſi delata eſt. Ille uaſculum Smaragdi-num, quod nunc in diui Laurentij ſacrario magna ueneratione ſeruamus; omnibus ſpolijs antepoſuit: nobilis'q; uictoriæ mo-numentum Genuam pertulit.

Scio equidem robur, ac præualidas uires inter bona cor-poris non inter uirtutes annumerari: quam ob cauſam nulla mihi cura fuit eos referre, qui hac ratione famam ſibi pepe-rerunt. Duo tamen exempla ideo ſubijciam, quia non tantum corporis robur, ſed et animum quoq; reſpiciunt. Cum Fran-corum rex Carolus ſecundus aduerſus Philippum Artauellum, Flandriam'q; rebellantem arma ſumpſiſſet; comparato ualı-diſſimo exercitu ad id flumen peruenit, quod fines regni, Flan-driam'q; diſterminat. Tenebat ulteriorem ripam Philippus inſtructas acies oſtentans: cui ſatis erat à tranſitu fluminis regem arcere. Cum uterq; exercitus aliquandiu immotus ſuas, hoſtis'q; uires conſpicatus fuiſſet; nec inueniretur, qui ſuperare flumen auderet; Nicolaus Ianus, ut inuicti roboris, ita interriti animi iuuenis, tribus tantum ſagittarijs adſum-ptis, primus omnium flumen traiecit. Qua hominis fiducia ter-refactus Philippus ſenſim pedem retulit: ac traijciendi exer-citus regi facultatem dedit. Hoc Nicolao longe robuſtior fuiſſe

perhibetur Paulus Sylueſter, uel; ut uulgus loquitur; Saluaticus: qui rege iudice equo egregio magnitudine uirium prælatus eſt. Nam cum Petrus ulterioris Hiſpaniæ rex inter cuſtodes corporis Paulum haberet; memoriæ proditum eſt, regem ad rapidi fluminis ripas deueniſſe: equoq; fluuium intrare non auſum deſiluiſſe: Pauliq; humeris, quàm ſonipedis dorſo deportari maluiſſe. Mira hominis fiducia: qui nobiliſſimum regem geſtans, non extimuerit ei periculo ſe, atq; illum ſimul obijcere: cui deuitando ne iumenti quidem uires ſatis eſſe putabantur.

Magnam maioribus noſtris iuſtitiæ curam fuiſſe cum multa alia declarant, tum Pera, Caphaq; ignobilia quondam tuguria, nunc opulentarum urbium claritatem æquantes, teſtimonio ſunt: quæ profectò nunquam ad id amplitudinis contendiſſent, niſi iuſtum illis imperium contigiſſet. Neq; ego nunc enumerandos puto ſingulos præſides, qui; cum his, alijsq; urbibus præfuiſſent; ſingulare aliquod iuſtitiæ documentum edidere. Paucis etenim memoratis reliquorum licebit innocentiam, integritatemq; cognoſcere. Simon Vignoſus; cum perdomita inſula Chium urbem obſideret; edixerat, ut ſi quis in uineis, aut pomarijs inuito domino deprehenderetur, uirgis cæderetur. Cum agreſtes ignari quiſnam eſſet, Franciſcum filium eius adoleſcentem in uineis inuentum patri obtuliſſent; nullis precibus exorari potuit; quin natum uuis à collo pendentibus, flagris cædi iuſſerit. Idem moriens teſtamento legauit aureos quingentos inter egenas uirgines Chias uiro tradendas in dotis auxilium diſtribuendos: tanti arbitratus ea damna, quæ indigne agreſtibus intuliſſet. Maluit uir ille patriæ charitatis oblitus, ſe iuſtum imperatorem, quàm indul-

gentem patrem uideri.

Matthæus Maruſſus belli, pacis'q; artibus æque memorabilis; cum præſes Famauguſtæ deſignatus eſſet; audierat eam ciuitatem furtis, rapinis'q; patere: urbem ingreſſus omnia deteriore etiam loco poſita comperit. Igitur nec præfecto uigilum, nec alij ſatis credens, ipſe noctu obire ciuitatem cœpit: eo quidem cultu, ut agnoſci non poſſet: tum; ut quenq; obuium habuerat; percontari, quò iter intenderet: qua ue cauſa inepto tempore circumuagaretur. Suſpectos cruciatus, conuictos ſupplicium ſequebatur. Pauculis diebus adeo ualuit ſeueritas regentis, ut plenæ precioſis mercibus ſtationes ſine ullo cuſtode etiam noctu relinquerentur. Purgata hoc modo ciuitate, unus ſupererat fur inſignis ex eorum numero, qui nocturnas excubias in mœnibus agebant. In eum cum ſæpenumero inſidias, artes'q; paraſſet; & ille innoxias manus ſeruans omnes eiuſmodi dolos cautus falleret; Matthæus poſtremò haud ignobile pallium penes eum dormientem abiecit: ratus fore, ut ille excitatus pallium aſportaret. At ille ſomno excuſſo; ut ante pedes ſuos abiectam ueſtem conſpexit; pauliſper dubitabundus, ac deliberanti ſimilis, exclamauit: Quid me toties Matthæe tentas? ac pallium ſuo loco reliquit.

Illud quoq; multorum ſermonibus celebratum fuit: quòd dum mercator quidam Perſa Capham ueniſſet, ſericum, gemmas, alias'q; precioſas merces ſecum afferens; incauto'q; omnia fraude ſublata fuiſſent; ille inſano ſimilis urbem obire: exclamare: Deum, atq; hominum fidem inuocare: omnia fletu, querelis'q; replere. At Hieronimus Iuſtinianus conſul id crimen non ſine ſui dedecore latere poſſe ratus, adhibita rebus diligentia, furtum detexit: & uocato ad ſe in præto-

rium Perſæ omnia cum fide reddidit. Tum ille ad domum reuerſus, ex lectiſſimis mercibus ingentia dona ferens, oſculari pedes, gratias agere, eum'q; iuſtiſſimum prædicare: ut uerò conſulem aſpernantem munera uidit: ſe'q; non ſine magna mercede à Genua Capham uſq; miſſum eſſe affirmantem, ut eum, reliquos'q; ab iniuria tueretur; tum demum in admirationem hominis conuerſus, exclamare, eam uere urbem templum eſſe iuſtitiæ: et qui eam regerent, uere dignos, qui orbi imperarent. Nam ſi quid in patria tale ſibi accidiſſet, plus in dominum ex recuperato furto, quàm in ſe peruenturum fuiſſe.

Nec matronalis pudicitiæ curam ulli unquam populo maiorem fuiſſe crediderim: cuius rei certiſſimum argumentum habeo: quòd nullæ unquam urbes, quantumuis iniuſtæ, ac odioſæ; expugnatæ à Genuenſibus inueniuntur: in quibus pudicitia mulieris ſummo ſtudio conſeruata non ſit. Duo tantum eius rei, longe tamen diuerſa exempla ſubijciam. Salagrus à Nigro, non is, quem ætas noſtra uidit; ſed ille antiquior maritimarum rerum gloria inſignis; cum decem triremibus præeſſet; quatuor'q; Aragonenſium onerarias naues expugnaret; & æſtu, ac labore feſſi ſocij eſurire ſe, ac ſitire clamarent; reſpondit, neq; panem, neq; aquam iam ſibi ſupereſſe: iuſſiſſe enim, ut hæc omnia in mare abijcerentur. Itaq; ſi famem, ſitim'q; explere uelint, expugnandas eſſe hoſtium naues: quæ rerum omnium copia refertæ eſſent. Tantum'q; ualuit ſeueritas, ac pertinacia ducis, ut naues ſumma obſtinatione defenſæ; quæ multos proceres cum liberis, & coniugibus domum repetentes uehebant; captæ tamen ſint. Parta uictoria, primum omnium edixit, ut mulieres omnes inuiolatæ ſeruarentur: maius'q; ipſi tuendi pudoris, quàm prædæ ſtudium

fuit. Contractis in unum fœminis, ac præpoſitis illis cuſtodi-bus, dum quænam ſingulæ eſſent, percontatur; forte comperit ex proceribus unum; quam unice amabat; uxorem mœſtum, ac lacrimantem iugulaſſe: ueritum, ne ſi mulier eleganti forma in manus hoſtium deueniſſet; captiuo corpori illuderetur. Salagrus ira concitus; quòd ille de ſe, de'q; Genuenſibus tam male concepiſſet; homicidæ caput auferri iuſſit: mulieres'q; intactas in terra expoſuit.

Sed Salagrus ipſe legem, mores'q; Genuuenſium ſancte quidem, ſed nullo ſanè captus amore ſeruauit. At Lichinus Vinaldus uir diuitijs, & claritate generis inter primores ciuitatis non poſterior, non cum alienigenis, ſed ſecum ipſe, et cum amore bellum geſſiſſe uideri poteſt. Nam cum egregia forma matronam deperiret; ei'q; multos annos importunus fuiſſet; & illa non in decore, ſed in pudicitia fœmineam laudem poſitam eſſe ſciens, nunquam in eum oculos deflexiſſet; forte euenit, ut uir eius Sardiniæ captiuus in uinculis aſſeruaretur. Illa cum nec uiro ferre opem, nec paruos ultra liberos alere poſſet; poſt egeſtatem diutius toleratam, iuuenem ad ſe uocatum domi excepit: eius'q; genibus aduoluta: Statueram inquit animo, pudorem, fidem'q;; quam uiro debeo; ad extremum uſq; uitæ ſine labe tueri. At quoniam egeſtate premente extrema omnia cum his liberis perpeſſa ſum, uicta malis, me, corpus'q;, ac famam arbitrio tuo committo. Tu eſurientium miſerere. Ille dudum mentem caſtam, & nunc in perferenda calamitate fortem admiratus: Bonum, inquit, animum ſume: neq; enim patiar: ut quam amantis blanditiæ pellicere nequiuerunt, ſæuitia fortunæ adulteram faciat: omnis'q; impudici amoris oblitus ad uxorem conuolat; et quæ ge-

ſta erant, refert omnia: ut'q; mulier innocens ab omni quoq; ſuſpitione præſeruaretur; triticum, uinum, pecunias, nemi= nem præter uxorem ad eam ferre uoluit. Ex'q; impugnatore defenſor caſtitatis eius factus eſt.

Multos acceptas iniurias æquo animo tuliſſe memoriæ proditum: nec ſecula quoq; noſtra adeo uirtutum infœcunda fuere, ut hæc æquitas animi in pleriſq; ſpectata non ſit. Verùm cum alia ratio eorum ſit; qui ad deum omnia referen= tes non iniuriarum modo obliuiſcuntur, ſed acceptis etiam gau= dent; expectantes ab eo manſuetudinis ſuæ præmia, qui reli= ctæ ſibi ultionis retributionem pollicitus eſt; alia eorum, qui naturalem quandam iuſtitiam ſequuntur; non dubitabo exem= plum illud referre: quod propter ipſam quoq; nouitatem rei, ætas noſtra ſæpe laudauit. Antonius Iuſtinianus equeſtris ordinis uir, genere, opibus, clarus; cum in diſtributione publi= ci tributi inſignem ſe accepiſſe iniuriam arbitraretur; haud aliter ſe domi continebat, quàm ſi aliquem domeſticorum luge= ret. Ad quem conſolandum cum Lucianus Spinula uir præter ſplendorem generis lenitate quadam, & auctoritate nemini cedens, ueniſſet; Oro (inquit) Antoni, ne hanc iniuriam ini= quo animo feras. Id cum longo ſermone bis, ter'q; iteraſſet; Antonius non ſine ſtomacho, cupio, ait, ex te Luciane prædi= ſcere: qua tu æquanimitate iniurias ferre ſoleas. At ille nihil permotus, cogito, inquit, aut me gnarum, aut ignarum ali= quando iniurias dediſſe: ac, uelut dandi, accipiendi que ui= ciſſitudo ſit; illatis acceptas compenſo.

Mirabitur aliquis, id'q; non immerito: cum egregij duces Genuenſi populo præfuerint; cur eorum neminem attigerim: præſertim cum ex ijs alij inſigni quodam amore in patriam,

alij

alij prudentia, quidam iuſtitia, uitæq́; integritate, alij ſingulari quadam moderatione prædití digne laudari mereantur: indignumq́; ſit eorum nomina deuitare, qui pro amplitudine patriæ, neq; labores, neq; pericula ipſi deuitarint. Ego ſanè haud ignarus ſum, uberem mihi ſcribendi materiam ſubtrahi: dum uiuentium iudicium reformido: qui uel infenſi principibus, uel beneficijs obnoxij, ueras laudes parum æquis auribus accepturi forent: nec iudicium, ſed affectum uocarent, aliorum uirtutes referri, alios ſilentio præteriri. Quam ob cauſam ſeponendi mihi omnes erunt: ne ſuſpecta ſcribentis fides famæ eorum quoque, quos memorabimus, aliquid officiat.

Nec mihi referendos putaui, quos dignitates illuſtrauere: Nam ſi horum quoq; nomina poſteris commendanda forent, quis neſcit Othobonum Fliſcum; quem poſtea factum pontificem, Hadrianum uocauere; res maximas inchoaſſe, quas immatura morte præreptus explere non potuit? Ioannes, Lucas, Ludouicus Fliſci Cardinales, magna rerum geſtarum fama in noſtram uſq; ætatem celebrantur. Brancæ Aurio ſeniori, & huic quoq; poſteriori, quem regnantem uidimus, imperio poſſeſſa Sardinia, & opes propè incredibiles, claritatem nominis attulerunt. Quid Grimaldos, quid Spinulas eloquar? quid Campofregoſos: quid Buccanigras? Zacharias quoq;, & Gatiluſios: quos uel collatæ à regibus dignitates, uel adiectæ imperio urbes, aut inſignes uictoriæ, non ſine ratione nobilitauere? Quos quidem omnes miſſos facio: non quòd illis præclaras defuiſſe uirtutes putem, ſed quòd ſcriptorum negligentia ea; quæ uera ſunt; animi bona parum perſecuta eſt. Cum igitur non tàm eos; quibus dignitates, opes, ho-

nores contigerunt; laudibus efferri deceat, quàm qui honeſte illis uſi ſunt; ſcriptoribus imputo; quòd uiros memoria digniſſimos ſubripuerint mihi. Vnum tamen diuitiarum exemplum; quod ut minus ſplendoris, ita ueræ, ſolidæ'q; uirtutis plus habuit; prætereundum mihi nequaquam putaui. Franciſcus Vinaldus omnium qui ſunt, qui'q; fuerunt Genuenſium diuitias ſupergreſſus, eam cunctis in rebus moderationem tenuit, ut immenſæ opes, & priuati hominis modum excedentes, nemini unquam iniuriam intulerint: nullius oculis moleſtæ fuerint. Habitauit ædibus, neq; ſordidis, neq; inuidendis: uictu parco: cultu parciore contentus. Ancillarum, famulorum'q; tantum illi fuit, quantum mediocris fortunæ homini ſatis eſſe ſolet. In hoc tenore uitæ uſq; ad extremum ſenium perſeuerans, adeo caruit inuidia, ut neminem unquam ipſi inimicum fuiſſe deprehenſum ſit. Et ne quis hanc hominis moderationem tenacitatem ſuſpicetur; hic ille Franciſcus eſt, qui id aurum patriæ largitus eſt, ex cuius fructibus publica debita; quæ Capitula uulgo dicimus; quotannis minuuntur.

IACOBI BRACELII GENVENSIS AD BLONDVM FLAVIVM Apoſtolicum Secretarium oræ Liguſticæ Deſcriptio.

REVERSVS in patriam clariſſimus uir Andreas Bartholomæus Imperialis ab ea legatione; qua apud Romanum pontificem aliquandiu moratus eſt; cum multa de te non ſine magna tui laude ſæpius loqueretur; in ſermonem aliquando incidit eius hiſtoriæ, quam tu magno labore, nec minore omnium expectatione ſcribere aggreſſus es. Inter quæ ait, cupere te: ut Liguriam cum ſuis populis quiſpiam regionis eius peritus exacte deſcribat: ab eo haud contemnenda laboris portiuncula te leuatum iri: modo is eſſet, qui quod tibi præſtari optabas, poſſet implere: meq́; multa oratione; qua plurimum ualet; hortatus eſt: negotium ut ſuſciperem. Ego cum ſcirem huic regioni latiſſimos aliquando terminos fuiſſe; quippe cum Piſas in Liguribus conditas, et Apuanos Ligures; quos agri Piſani populos eſſe conſtat; à probatis auctoribus traditum legamus; quodq́; longe plus admirationis habet, Maſſiliam Pompeius Trogus inter Ligures, & feras Gallorum gentes, poſitam dixerit; operis difficultate deterritus pedem retuli. Neq; enim quempiam ſeculi noſtri quantumcunq; doctiſſimum uirum ſatis idoneum putaui: qui uetuſtiſſimas illas orbis diuiſiones iam prorſus abolitas uel (ut ita dixerim) ſepultas, ita poſſit eruere, ut ex illa uetuſtatis caligine in lucem proferat, quinam

fuerint Liguriæ conſtituti fines tunc, cum Apuanus, & Maſ-ſilienſis inter Ligures annumerabantur. Verùm poſteaquam ex eo cognoui ſatis fore tibi, ſi ora Liguriæ; quam Plinius, et qui eam diuiſionem orbis ſecuti ſunt, Varo, & Macia termi-nari uoluerunt; accuratius deſcribatur; haud inuitus laborem ſuſcepi: quippe qui à te & recte fieri, & æquum poſtulari arbitrer: quòd uniuſcuiuſq; regionis urbes, populos, flumina, cætera'q; memoratu digna, malis ab indigena, quàm ab ex-terno cognoſcere. Erit aliquod præterea operæ precium: ſi in ea ora; quæ ut fertilitate plurimis, ita ſalubritate, amœnita-te'q; paucis admodum cedit; pleraq; inuenias, quæ tibi res Italicas dicere aggreſſo ſine laude præterire non liceat. Illud uerò ante omnia mihi concedas uelim: ne ſi diligentius om-nia ſcrutatus fuero, minima perſequi, paruis'q; nimium immorari arguar. Aliud enim terrarum orbem dicturo pro-ponitur, longe alia lex eius eſt, quem unius tantum prouinciæ labor fatigat. In quo tamen ſi rationem, legem'q; exceſſero; dum me ornandæ patriæ cupiditas longius rapit; ſcio huic fa-cile amori meo ueniam dabis.

A' Prouincia igitur Narbonenſi Italiam petituro, Liguriæ primus limen aperit Varus fluuius ab Alpibus effuſus: haud procul ab urbe Nicea mari ſe infundens, nulla re notior, quàm quòd Bracatam Galliam ab Italia diſterminat. Occurrit mox Nicea oppidum à Maſſilienſibus in littore conditum, Alpes dorſo contingens. Dehinc portus Herculis Monœci quondam, nunc Villa Franca. Poſt hæc Monichus portus, ut Ptolemæo placet: nunc Monacus, Genuenſis imperij terminus. Hunc enim uel collem, uel ſcopulum; cum eſſet incultus; Cæſar Ge-nuenſi populo ad condenda mœnia conceſſit, annis iam quin-

quaginta ſupra ducentos euolutis. Imminent Monicho Trophæa Auguſti, *duo propè millia paſſuum à littore recedentia, in edito iugo poſita: nunc ignobile* Caſtellum Torbia *nomine, ſola uiarum aſperitate memorabile.* Sequitur Mentonum, et Rochabruna*: primum ipſo in littore, alterum haud procul à mari caſtellum poſitum: utraq; ſterilis ſoli, & præter ipſum nomen nihil, quod referas, habentia.* Deinde Albumtimillium, *urbs quondam populo, & latis finibus ualida: nunc uel demptis, uel mutatis paucis literis* Vintimillium. Huius latus*, qua parte ad orientem ſolem uergit;* Rucuba *flumine abluitur: quod nunc* Rodoriam *uocant. Vix mille paſſus ab oppido collis attollitur, cui* Apio *nomen eſt: & in colle arx ſita: ex qua prima naſcentis* Apennini *iuga haud procul aſpiciuntur.* Ab Rucuba *decem paſſuum abeſt municipium; quod* Sancti Romuli *nominant; citri ferax, frequentibus q; palmis; quam arborem circumiecta omnis regio neſcit;* Romanis *etiam pontificibus haud incognitum. Inde quinq; millia paſſuum emenſo obuia fit* Tabia*: duo millia recedens à mari, exiguum oppidum, ſed uitis generoſitate iam non obſcurum: quippe quæ uini nobilitate, quod* Muſcatum *uocant; tantum ſibi nomen parauerit, ut non* Cyprijs*, non* Creticis*, non* Falernis *montibus inferior putetur.* Decem *paſſuum millia ad* Mauricium *portum numerantur: portum nomine uerius, quàm re.* Hinc *quoniam uicini populi iura petunt, fama locum celebriorem facit.* Sequitur Vnelia *uallis aliquot introrſus uicis habitata.* Mox *oppidum* Dianæ*: nunc* Dianum*: duo propè paſſuum millia littus effugiens: olea, uite q; pariter lætum.* Poſt *hæc ipſo in littore* Ceruum. Dehinc Andoria *ex edito uicinum mare deſpiciens, uitiferis collibus undiq; cingitur.* Andorianos *fines*

parui admodum uici excipiunt. Hos Albumingaunum urbs opibus, ac uetuſtate nobilis: nunc Albingana: cuius Merula flumen latus uerberat: uulgus Centam nominat: quòd centenis torrentibus augeatur. Hanc urbem in plano poſitam uix quingentos paſſus ab ora diſtantem cum ualidiſſimi exercitus Philippi Mediolanenſium ducis arcta obſidione cinxiſſent; quatuor'q; perpetuos menſes oppugnatam cuncta belli mala ferre coegiſſent; conſtantia tandem, ac fortitudine populi perterritus hoſtis more fugientis, ac uicti obſidionem ſoluit. Occurrit poſt hæc Petra caſtellum in littore poſitum. Deinde Finarium oppidum, a cœli ſalubritate nominatum: abeſt à mari duo propè paſſuum millia, anguſtias uallis claudens: in cuius faucibus ſitum eſt. Eſt & in littore Naulum urbs portu, ac turribus inclyta. Eſt & Vadorum portus. Hinc ſeptem paſſuum millibus Sauona diſtat: urbs multorum populorum commercio nobilis: nunc diſiecta mole; quæ fluctibus oppoſita, portum efficiebat; manca, et trunco corpori ſimilis relicta. Hanc Liuius Magonis aduentum referens Sauonam nominauit: id'q; nomen cum ad ætatem uſq; noſtram perduret; non eſt facile rationem reddere, cur Plinius Sabatium, Pomponius Sabatiam appellare maluerit. Albiſollam, Cellas'q; uicos ignobiles haud procul inde in littore cernimus. Deinde Viraginem oppidum: quod quidam Vicum uirginis dixere. Succedit Vulturum uicus, quem Cheruſa paruus amnis interfluit. Porciſera dehinc ut maior, ita uiolentior amnis: qui amœniſſimæ ualli nomen dedit. Tum uaſtum, & ingenti mole fluctibus obiecta memorabilem portum, frontem'q; ad Africum uerſam Genua pandit: urbs uetuſtate præclara: uerùm rebus geſtis longe clariſſima: ut quæ Corſicam, Cyprum,

Aſiam, Traciam, Scythiam, magnam'q; orientis partem, aut deductis colonijs, aut uictoriis ſuis illuſtrauerit: negotio tamen, quàm otio felicior. Cum antiquitatis ſuæ multa ſint argumenta; non illud in ultimis habendum puto: quòd auctorem eius nemo ſatis affirmare auſus eſt. Ita ex illis temporibus uetuſtate propè abolitis, uarias de conditore opiniones exortas uidemus. Quarum illa plurimum habere auctoritatis putatur. Phaethontem claſſe in Liguſticum ſinum ex Aegypto profectum, inde'q; Apennini iuga tranſgreſſum, haud procul à Pado flumine conſediſſe: relictis in littore nauibus cum Genuo quodam claſſis præfecto: hunc ibi oppidum condidiſſe: & de ſuo nomine Genuam appellaſſe. Verùm quid de urbis initio homines ſentiant; cum cuiuſq; iudicio liberum ſit; excidia certe in obſcuro non ſunt. Semel à Magone Hamilcaris filio capta, ac exciſa eſt: iuſſu'q; Romani populi à Lucretio reſtaurata. Rurſus ſexto ſupra quingentos nunc anno, iterum à Pœnis capta, ac propè euerſa eſt. Sed maximis poſt hæc incrementis Dei munere caput attollens, illis ſæpe terrori fuit, & nunc formidini eſt, quorum inſidijs concidit: præualida nunc uiribus, ac mari plurimum pollens, principem nacta omnium moderatiſſimum Thomam Campofregoſum: cuius cum maximæ laudes nullius præconio indigeant; nec eas in præſentia referre animus eſt: & ſi ſit; operis magnitudine deterreri queam. Vrbis orientale latus Ferior amnis præterfluit: quem nunc Biſamnem appellamus. Nec tamen uetuſti nominis uſquequaq; facta uidetur obliuio. Nanq; amnem minorem è proximis montibus præcipitatum; qui ſe maiori uiolentius immiſcet; Ferixanum dicimus. Hic ſi fluuio quondam; ut coniecturis creditur; nomen dedit; ex Feriore in Ferixa-

num uerſus, quatuor priores antiqui nominis literas adhuc ſeruat. Inde parui admodum in littore uici Neruium, Buliaſcum, Saulum, & his omnibus maior Rechum, poſtea Camulium. Verum ab amne Cheruſa, quæ ſupra memorauimus adusq; Camulium: hoc eſt quatuor, & uiginti millia paſſuum: non plana modo, & quæ mari proxima ſunt, uerum ualles, colles'q; longius poſiti, omnia demum magnificis ædibus decora ſunt: adeo frequentibus, ut qui ex alto terras petunt, unam à ſe urbem aſpici putent. A Camulio ſinuari promontorium incipit, quod diuo Fructuoſo ſacrum eſt: eius templum in intimo receſſu poſitum magna ueneratione à uicinis populis frequentatur. Id illi promontorium Caput montium uocant: arduum, ac ſaxoſum in maria procurrit: ſiniſtro'q; latere irrumpentes undas anguſtis faucibus admittens, Delphini portum efficit: qui ab incolis dempta prima ſyllaba; quaſi à bonitate nominandus potius ſit; Portus finus appellatur. Sequitur & alius ab oriente ſinus, quem Rapali nominant. Id ualli nomen eſt: quæ intra montuoſa haud ſterilis, citri'q; ac oleæ plurimum ferax, uicum eiusdem nominis haud obſcurum habet in littore. Quinq; paſſuum millia Clauarum abeſt: oppidum ob alia magis, quàm uetuſtate clarum: quippe quod ante centum, & quinquaginta annos nondum mœnibus cinctum fuiſſet. Hunc maritimi, huc montani populi plurimi iuris dicendi gratia conueniunt. Haud procul inde fluuius Entella mari illabitur: quem noſtri Lauaniam uocant: cuius in ulteriore ripa Lauania uicus eſt: quem clariſſima eorum familia; qui ſe Lauaniæ comites dici uoluerunt; maxime illuſtrem dedit. Ab oſtio Entellæ uix quatuor paſſuum millia Segeſtum aſpicimus: quam qui Ptolomæi dimenſiones ſequuntur, Ti-

guliam putant: incolæ Sigeſtrum nominant: uicus eſt ipſo in littore: cui obijcitur inſula tenui admodum riuulo à continente auulſa: ea præruptis undiq; rupibus quaſi muro tuta ab omni terræ, maris'q; incurſione ſecuros incolas habet: gemino portu, dextra, leua'q; acceſſibilis: quanquam qui ad portum uergit, tutior, uerior que portus eſt. Huic contermina ſunt Monlia: quam noſtri Moneliam dicere maluerunt: indu os uicos diuiſa: nihil quod referas præter uitiferos colles habent. Monilianis finibus Framula occurrit: quam ob lapidoſos, & aſperos calles, quaſi Ferramulam dictam puto: ea in aliquot paruos uicos diſtincta uinctis undiq; ambitur. Hinc paruo interuallo Leuantum abeſt: municipium nobile magis, quàm uetuſtum: irriguis uallibus, & apricis collibus amœnum. Inde in ora caſtella quinq; paribus prope interuallis inter ſe diſtantia: Mons ruber: Vulnetia, quam nunc Vernatiam uulgus nominant: Cornelia: Manarola: Riuus maior: non in Italia tantum, ſed apud Gallos, Britannos'q; ob uini nobilitatem celebria. Res ſpectaculo digna, uidere montes non decliues modo, ſed adeo præcipites, ut aues quoq; tranſuolando fatigent; ſaxoſos, nihil humoris retinentes, ſtratos palmite adeo ieiuno, & gracili, ut hederæ, quàm uiti ſimilior uideatur hinc exprimi uindemiam, qua menſas regias inſtruamus. Riuum maiorem tranſgreſſos excipit Portus Lunæ: à ſcriptoribus quidem, ſed parcius quàm decuit celebratus: uaſtis faucibus ſeſe pandenti, multis'q; reflexibus tortuoſo inſulam natura obiecit: quæ illum ex Auſtro, & Africo tutum præſtet. In qua templum eſt diuo Venerio ſacrum: à quo uetuſto nomine abolito Portus Venerij, uel; ut plures loquuntur; Veneris appellatus eſt. Fugiunt introrſus terræ quinque

paſſuum millia : quam longitudinem portus latitudo quoq; adæquat . In occidentali promontorio oppidum eſt à portus nomine dictum : Genuenſis populi colonia , idem'q; imperij quondam terminus : cuius in aduerſo Ilex eſt caſtellum , uel ex hoc celebrius , quòd ut illud Genuenſes , ita hoc Piſanos quondam fines terminabat. Receſſus interior Spediam habet : nouum oppidum, citra LX annos muro circundatum : ea præſidi ſedes conſtituta eſt : ad quem quicquid litium oritur , à remotioribus etiam populis defertur . Promontorio Lunenſi ab oriente portus clauditur : quod præterlabitur Macra fluuius amœnus , piſcoſus : & quòd Liguriam ab Hetruria ſecernit , haud ignobilis . Vt Liguriæ, ita operis noſtri finis . Nam populorum , urbium'q; longius ab ora recedentium, illis deſcriptionem relinquendam putaui , quibus uel eas terras incolere, uel aliquando peragrare contigit . Tres omnino id mare inſulas habet ſcopulo, quàm inſulæ ſimiliores : unam Albingauno aduerſam , quæ pauidas ſæpius naues à clade ſeruauit : aliam Naulo : tertiam Lunenſis portus occidentali promontorio propè annexam . Liguſticæ oræ longitudinem à Varo ad oſtia Macræ cum undecim ſupra ducenta millia paſſuum ueteres prodiderint ; non ultra centum , & octoginta à noſtris eſſe traditur .

suie nouo oppido
magnū pepererat nōen
Bartholomaeus Faccius
ex poc Blondi ut
refert F. Albertus Le
ander de Albertis Bo
noniensis in sua
descriptione Italie
in Liguria transgres
sionis prope finem.
quod nō erat ipsa
terminando.

IACOBI BRACELLII

EPISTOLAE QVINQVE DE MAGNIS *rebus aliorum nomine conſcriptæ.*

Sacræ regiæ maieſtati Hieruſalem, Cypri, et Armeniæ.

DVM *percurrimus animo ſereniſſime Princeps ſecula illa, quibus nobiliſſimi reges, Iacobus, & Ianus, auus, & parens tui, regnum Cypri tenuerunt; & nobis ante oculos ponimus honores, & commoda, quæ Genuenſibus priuatim, ac publice contuleruut; & parte altera cogitamus, quanta ueneratione, beneuolentia, & ſtudio reſpublica Genuenſis utrunq; coluerit; & quàm ſæpe in ſecundis, aduerſisq́; rebus ope noſtra adiuti ſint; uiderentur nobis omnia profectò in deterius eſſe mutata, ſi cogeret nos hoc tempore neceſſitas contra maieſtatem ueſtram arma ſumere: et cuius gloriam, et amplitudinem quærere ſolebamus, aduerſus eum nunc armatos in acie ſtare. Verùm ſereniſſime princeps nihil uidemur nobis intentatum reliquiſſe, quo ueterem amicitiam, & ſolitam obſeruantiam noſtram ad ſublimitatem tuam incorruptam tueremur. Nam poſteaquam maieſtas tua, & erga ſpectatos protectores ſancti Georgii, & erga priuatos ciues noſtros multa ſeruare deſiit; ad quæ ex fœdere tenebatur; non ſtatim ad uim, armaq́; decurrimus, ſed literis noſtris primùm, deinde legationibus orauimus, admonuimus, popoſcimus excellentiam tuam, ut ius, conuenta que reſpiceret, neq; Deo, iureq́; ne-*

glecto tàm indignis noſtros iniurijs inſigniret. Sed adeo præualuerunt apud eam pernicioſa quorundam conſilia, ut preces, & monita noſtra non repellerentur ſolum, ſed etiam irriderentur, uelut à metu profecta. Quæ cauſæ haud immerito commouerunt hos protectores de incommodo maieſtatis tuæ cogitare. Nobis graue nimis, & odioſum fuerit, ſi compellamur tuæ celſitudini bellum inferre. Quod tamen à nobis effugi non poteſt, ſi poſcendo, monendo, orando nihil profecerimus: & tamen propter ueterem obſeruantiam, ac beneuolentiam noſtram; qua non ſolum maieſtatem tuam, ſed inclytam quoq; Luſcinianorum familiam omni tempore complexi ſumus; orare rurſum, & pro iure depoſcere ſerenitatem tuam ſtatuimus, ne uelit in noſtrorum iniurijs ultra perſiſtere: ſed protectoribus potius, ac reliquis Genuenſibus ea præſtare, ad quæ iure obligata eſt. Nam alioqui Deum, homines q; teſtamur, cauſas diſcordiarum, ac belli non à nobis, ſed à uobis proficiſci: et decere nos armis noſtra uindicare, ſi iura noſtra apud te, tuos q; contemnantur. Quòd ſi (ut confidimus) excellentia tua rectum, æquum q; reſpiciat; & noſtris ſe talem præbeat, qualem optimo iure debet; perſuadeat haud dubie ſibi maieſtas tua, nos non modo non remiſſuros eſſe ex antiquo amore, ac ueneratione ad eam aliquid, ſed inſuper nihil eidem negaturos, quod ſtabilimentum, ac gloriam eius reſpiciat. Itaq; ut malit amorem noſtrum cum iuſtitia, quàm odium cum iniuria, eam iterum, iterum q; precamur. Datum anno M.CCCCLII. die XXII Martij.

LEGIMVS *beatiſſime pater, & domine nobis colendiſſime, literas ſanctitatis tuæ* XXIII. *die Maij ſuperioris datas.* Legimus *item exempla literarum reuerendiſſimi domini Cardinalis ſancti Sixti: quas ex Vngaria XVII die menſis Aprilis miſiſſe uidetur. Ex his cognouimus, quanta ſit ſereniſſimo illi regi ſpes repoſita in claſſe ſanctitatis tuæ: quamq; cupiat, eam littora, terrasq; Turcarum mox incurſare. Nobis multa cogitantibus uerba profectò deſunt, quibus ſtudium, ardoremq; ſanctitatis tuæ ad fidei defenſionem digne extollere, ſatisq; laudare ualeamus. Quid enim addi poſſe dicemus tanto animi feruori, qui erogatis auro, argento, gemmis, ſe ipſum cupiat pro ſuo grege in captiuitatem dare? Verùm quoniam hæc pia animi tui conſcientia in Deo requieſcens, humanas laudes aſpernantur, miſſa hæc faciamus. Quod nos reſpicit ſanctiſſime pater, non eſt ignotum ſapientiæ tuæ, hanc rempublicam etiam prius quàm Mahumetus Conſtantinopoli potiretur, non exiguum Turcici belli pondus ſubiſſe: ex eo omni tempore nauibus, uiris, armis, tritico, urbibus Pontici maris ſuccurrere cœpimus: uixq; unquam poſtea eiuſmodi ſumptus ceſſauit. Poſteaquam autem à conſpectu beatitudinis tuæ redierunt legati noſtri; quum Rhodus, Chius, Lesbus; aliæq; urbes, & inſulæ, manifeſtis periculis obiectæ uiderentur; præter Ponticarum urbium curam; ad has quoq; terras conſilia conuertere neceſſarium fuit. Itaq; naues duas cum uiris circiter quingentis, armisq;, & inſtrumentis bellicis Chium miſimus: unam Mitylenen cum ducentis armatis, &*

omni telorum, armorum q; genere. Tritici autem tantum conueximus Chium, ut ſi uel Rhodij, uel alij uicini populi eſuriant, inde fami eorum ſuccurri poſſit. Capham autem, et ad alias Ponticas urbes, duas item miſimus alias naues magnam frumentorum uim ferentes: quarum altera omnium, quæ mediterraneum mare ſulcare ſolent, maxima, fulmine icta, malo, et antennis combuſtis, facta inutilis eſt: ingruit q; neceſſitas aliam loco eius quærere, quæ in Pontum penetret, & onus incenſæ, non ſine nouo, et graui ſumptu, illuc perferat. Hæc quiſquis recte cogitare uoluerit; licet ingens aliqua, & hoſti formidabilis claſſis à nobis comparata non ſit; inueniet tamen, nos hoc longo, & aſſiduo bello, tot naues, tot uiros armaſſe, tantum pecuniarum profudiſſe, ut longe minore ſumptu præualida claſſis parari potuerit. Lætamur, claſſem ſanctitatis tuæ nunc ſolui, & orientem petere: quæ utinam Calendis Maijs (ut fama erat) in Aſiam perueniſſet. Fouiſſet enim bona ſpe Chriſtianorum animos: quorum quidam perterriti, abiecta ſpe occidentalium præſidiorum, pacem cum Turcarum tyranno agitare feruntur. Nos beatiſſime pater, quanquam diuturni belli mole defeſſi, non deſinemus tamen terris, & inſulis, quas nominauimus, opem ferre quandiu uires ſuppeditabunt. Et ſi reges, ac populos Chriſtianos beatitudo tua in unum conſenſum adducet, præclaram aliquam, magnificam q; expeditionem aduerſus Turcas parare; annitemur profectò ſpei; quàm de nobis ſanctitas tua concepit; reſpondere: nec promptitudine, uel ardore cuipiam cedere: qui nos, noſtra q; omnia benignitati tuæ propenſius commendamus. Data Genuæ. MCCCCLVI. die XI Iunij. Sanctitatis

tuæ filij, & cultores obſeruantiſſimi, Petrus Dux, &c. conſilium Genuenſe.

Rex Aragonum, & utriuſq; Siciliæ, &c.

QVI uos fortaſſe non norint, ò dux, baliæq; præſides (ſi modo aliqui in terris uitam agunt, qui uos non norint) potuerunt ii quidem ex literis ueſtris, metu, aut admiratione aliqua affici: ego uerò, qui totiens iactantiam ueſtram, totiens leuitatem, atq; perfidiam expertus ſum, non ſolum quod ſcribitis, neq; magnifacio, neq; formido; ſed is potius ſum, cui facere uideamini, quod impudica mulier ſolet: quæ ſi ſemel pudorem ex animo abiecerit, poſtea in caſtas, probasq; obiectare adulteria non deſinat. Et ſi uobiſcum uerbis contendere conſilium non ſit; reſpondebo tamen abunde ſatis pro tempore literis ueſtris: quo mortales, atq; immortales omnes intelligant, me nequaquam bellum contra nationem Genuenſium in præſentia ſuſcitaſſe: cum qua et amice, et beneuole uiuere perpetuo; niſi nobis publice fiat iniuria; decreuimus. Immo uerò pro ciuitate Genuenſi, ideſt pro optimatibus, ſummisq; uiris, ac ciuitatis flore, qui ueſtra ui, atq; opera extorres degunt, nos contra fœdifragos triremes noſtras immiſiſſe: pro inquam quos multis antehac experimentis inſpectos ſciremus firmos, ac conſtantes publice, & priuatim in propoſito perſtitiſſe, humanitatem, atq; iuſtitiam colere conſuetos: quosq; haud dubie ſperemus; ſi noſtris auſpicijs, noſtraq; ope in urbem reſtituti rempublicam capeſſant; melius fidem, gratitudinem, fœdus, pacem, et decus omne nobiſcum ſeruaturos.

At primum omnium; ſi qua uobis rerum præteritarum me-
moria extat; primam, & ſecundam inter nos pacem ueſtra auaritia, atq; perfidia uiolatam inuenietis. Sed ut nimis ue-
tera omittamus, & ad hæc recentiora; de quibus querela, et controuerſia eſt; ueniamus, precibus ueſtris demum factum eſt, uti Caliſtus pontifex nos ad inducias, ſeu, ut uulgò di-
citur, treguam uobiſcum ineundam compulerit. Quæ res tam-
etſi parum duratura pro ueſtris moribus mihi uidebatur, ta-
men pontifici domino noſtro potius parere uolui, quàm de fide ueſtra parum confiſus uideri. Sed neq; illud præſertim Gotar-
do dictante iactare debuiſtis: pacem ſcilicet inter nos factam conſilio, & precibus pontificis mei. Aderat quidem Gotar-
dus ipſe tunc legatus ueſtri, cum Epiſcopus Atrebatenſis com-
muni omnium legatorum nomine diſerta quidem oratione me oraret: ut Genuenſes quoq; in uniuerſalem pacem ſuſciperem. Cum'q; ego reſponderem, Genuenſes pro ſua perfidia pœna potius, quàm pace dignos uideri, exclamaſſe Gotardum (qui non uiderit genibus prouolutum?) tua nos ſaltem clemen-
tia ò rex humaniſſime communi hac pace dignos efficiat. Fa-
ctæ igitur precibus Gotardi, ſed interuentu pontificis indu-
ciæ: fœdus ictum. Cum id Pontificis ſaltem auctoritate ali-
quandiu ſuſtentari poſſe exiſtimarem; præſidium, quod in terra Corſica habebam, reuocaui. Vos interim occaſione obla-
ta oppida; quæ illic regia domus noſtra poſſederat; ut erant propugnatorum uacua, occupaſtis: præfectos, & populares noſtros fœdiſſime trucidaſtis: pacem de pontificis ſinu adhuc calentem extinxiſtis: fœdera, iuſiurandum, fidem, pieta-
tem, religionem, pro nihilo æſtimantes. Inter hæc etiam na-
ues nonnullas ſubditorum noſtrorum nihil hoſtile metuentes

cæpiſtis,

cæpiſtis, diripuiſtis, abduxiſtis. Quibus de rebus cum ego per Franciſcum Caſtelletum legatum noſtrum, & item per Bernardum præfectum claſſis noſtræ; apud eos ſæpius quererer; necnon apud pontificem per Solerium nobilem theologum; ita ubiq; ſuper ea re negligentes extitiſtis, ut lætari, atq; exultare potius malo, quàm illud uelle corrigere uideremini. Nam quas friuolas, & ineptas excuſationes, aut rectius præſtigias affertis, magiſtratum; quem uos diui Georgij cognomento appellatis; huiuſmodi facinus patraſſe, non uos, quaſi caput ad uentrem culpam reiiciat, uenter ad caput, facitis ſanè, ut ſacerdos ille Herculis apud diuum Auguſtinum, qui ſolus utraq; manu alternante; dextra quidem pro ſe, læua uelut pro aduerſario teſſeris ludebat. Num itaq; nos temere, aut repente (ut dicitis) contra uos triremes immiſerimus; qui toties per Solerium, toties per præfectum noſtrum, toties per legatum noſtrum, qui apud uos adhuc agit; damna illata à uobis fruſtra repetiuerimus, ſtudentes quantum in nobis eſſet, amicitiam etiam cum improbis ſeruare: ſi modo compilationum, aut errorum illos aliquando pigeret, pœniteretq;? Illud autem admirari ſatis non poſſumus, quomodo Turcarum pericula nominare uos non pudeat: quippe qui probe ſcire debeatis: quo de genere Chriſtianorum ſint, qui prius illos ex Aſia in Europam onerariis nauibus precio, & ſingulari auaritia adducti, deuexerunt, qui ue ubiq; terrarum conatus omnes regum, ducumq; Chriſtianorum pro poſſe ſubuerterint, ſubuertantq; quotidie, Mahumetanis arma, tela, tormenta, commeatum contra ius, fasq; ſumminiſtrando. Rurſum & hos noſſe debetis, qui nunc cum Turca contra Chriſtum perpetuo ferè coniurantes expeditionem noſtram quantum in ip-

ſis eſt impedire conentur. Nam per immortalem Deum quid aliud eſt pacem inter nos initam frangere, quàm Turcarum cauſam agere, quàm Chriſtum abiurare, quàm Chriſtianorum omnium exitium optare? Viderit Chriſtus ipſe, cuius cauſa agitur, nos ſemel, atq; iterum pacem Italiæ ſumma diligentia procuraſſe, atq; firmaſſe, cum ob alias cauſas, tum uel maxime, quò Chriſtianorum in Turcas faciliores eſſent conatus, atq; animi alacriores. Quod quoniam per uos nunc ò dux, octo'q; uiri Genuenſes diſturbatum iri palàm eſt; in uos igitur conatus noſtri, uelut in Turcas exortos in Italiam conuertantur oportebit: nec prius ab incepto deſtituri ſumus, quàm uos Chriſto ipſo bene adiuuante ſupplices nobis reddamus. Nec minus Chriſto duce, & in Turcas Aſiaticos expeditionem; quam ſemel ſuſcepimus; uobis inuitis executuri ſumus: palam'q; facturi, nos ea tantum cupere, quæ facile aſſequi, aut capere ualeamus. Poſtremo nos haud quaquam præterit, uictoriam alternam rem eſſe: nec hominum potentia, ſed Dei optimi maximi arbitrio conſtare. Idcirco accidiſſe aliquando, ut ab inualidis fortiores uincerentur, plures à paucioribus. Vos contra latere non debet, fortiores ut plurimum uictores euadere ſolere: ſi iuſtam præſertim, deo'q; acceptam cauſam ſuſtinent. Quòd ſi uictoriæ alicuius recordatio uos ſubiit, memineritis ſimul & in ea fœderis uiolati, ut quantum ex uictoria lætitiæ, tantum ex perfidia mœſtitiæ contrahatis. Poſthac uerò uobis perſuaſum ſit, non dolo, aut perfidia amplius, ſed armis, ac iuſtitia uincendum eſſe. Data in Caſtello nouo noſtro Neapoli. die X. Auguſti M.CCCCLVI.

Antonius Panormita.

Dux Genuenſis, &c regi Aragonum.

INfinitas propè à te præclariſſime rex, pacis belliq́; temporibus accepiſſe literas meminimus: eam quidem uerborum moderationem habentes, ut liquido appareret, eas & à rege, & à moderatiſſimo rege profectas eſſe. Hæ uerò; quas X. Auguſti die datas nuper legimus; adeo ab illis omnibus degenerant, ut ſi tuum nomen tollas; aſſeuerandum ſit, eas neq; tuæ maieſtatis eſſe, nec ciuilis alicuius uiri. Tanto enim ſtudio hic eius operis architectus uecordis in maledicendo facundiæ gloriam affectaſſe uidetur; ut quid, quomodoq́; loqui regem deceat oblitus ſit. Nos uero; quos falſas admodum obiectiones diluere cogis; ita cauſam noſtram agemus, ut quem admodum ueritate, ac iuſtitia, ita ſermonis quoq; modeſtia, maledicentem ſuperemus. Obiicitur ante omnia priorem, ſecundamq́; pacem à nobis fuiſſe uiolatam. Cuius criminis quoniam neq; rationes, neq; argumenta ulla in medium afferuntur; hoc dixiſſe ſit ſatis: nos aſſiduas temporibus illis ad excellentiam tuam querelas detuliſſe: cum triremes tuæ in ſpoliandis amicis, & hoſtibus nullum diſcrimen haberent: & oraſſe ad alicuius communis amici arbitrium controuerſias mutuas deferri, idq́; nunquam à te impetrari potuiſſe. Tranſis poſt hæc ad has inducias opera Pontificis Romani contractas: quas uter noſtrum religioſius cuſtodierit; teſtes ſunt cœlum, ac mare, et tot infelices ex noſtris mortales, quot triremibus tuis uincti attinentur: qui fiducia renouati fœderis ſecuri, capti, ac ſpoliati, remoq́; addicti crudelius à tuis, quàm à Barbaris habentur. Verùm quoniam direptionum, & præ

*darum facinus in tuis credibilius eſt; ad res Corſicanas ſta-
tim conuerteris: obijciens; cum ea, quæ Corſicæ habueras
præſidia inde abduxiſſes; nos in oppida defenſoribus uacua fe
ciſſe impetum: ijs q; captis quosdam à ſuperioribus quondam
regibus Aragonum poſſeſſos fœde trucidaſſe. Nolumus hoc
loco præcellentiſſime princeps durius aliquid eloqui: ne quam
ſpopondimus modeſtiam abieciſſe uideamur: hoc tantum di-
cimus: ſublimitatem tuam in ordine rerum geſtarum maxime
falli. Nam diſceſſiſſe tunc Corſica ullum præſidij tui; quem
ibi tenuiſſes; fieri nequit: & longe ante contractas inducias
miſerat illuc magiſtratus ſancti Georgij copias ad perdoman-
dos rebelles, qui imperium exuerant. Sed ne uideamur ex
hac narrationis breuitate nolle intelligi; Ranucius Leoccanus
longo iam ante tempore, ſe q;, ac filios, et terras ſuas tutelæ
noſtræ commiſerat: in qua fide adeo conſtanter perſeuerauit,
ut pro republica pugnans armatus in acie cæſus ſit. Quum
ſuccedentes filij uellent & ipſi fidei ſuæ pignus aliquod dare;
Genuam uenere: ſe q; iureiurando obſtrinxere ad fidelitatem,
& obedientiam magiſtratus ſancti Georgij. Nec his conten-
tus Raphael è fratribus ſe in Auriam familiam aſciſci petiit, et
impetrauit. Hic quieta conſilia peroſus cum ſententiam mutaſ-
ſet, & paterni, proprij q; promiſſi immemor; ſe q;, ac ſuos
in rebellionem præcipitaſſet; miſſo exercitu captus eſt; &
quas meruerat, perfidiæ pœnas luit. Hunc ſi tua maieſtas ui-
rum in ſuos transferre uelit, exnunc palàm conuenta fran-
guntur. Cautum eſt enim ex ſecunda parte, neutri partium
licere urbes, terras, ac ſubditos partis alterius ſe etiam ſpon-
te dedentes admittere. Ex quo fateare oportet, aut licuiſſe no-
bis in eum, & ſuos animaduertere, aut ſi illos à te receptos*

non diffiteris, contra pacem, fidem q́; ac iuſiurandum receptos fateare neceſſe eſt. Fabulam autem illam, quæ affertur, nos in excuſationem cauſæ noſtræ adducere ſolitos; magiſtratum ſancti Georgij, non nos hæc iuſſiſſe, uelut ex eodem corpore membrum in membrum aliud culpam regerat; quicunq; confinxit, uane, non ſolum aſtute, ut creditur, confinxit. Nos profectò nihil unquam tale uel diximus, uel ſcripſimus. Quòd ſi quid tale loquuntur literæ noſtræ; proferantur in lucem: ſint q́; teſtimonio contra nos. Id niſi fiat, palàm fiet, epiſtolam tuam; cum uera in nos crimina congeri non poſſent; uanitate, & commentis fuiſſe refertam: neq; religionem, Chriſti q́; uicarium, ipſum q́; fœderis teſtem, & ultorem Deum te ueritum fallere. Nos quidem quæ magiſtratus ille, nobiliſſimum reipublicæ noſtræ membrum, uel decreuit aliquando, uel geſſit; laudauimus omnia: & uelut à nobis iuſſa in nos referri facile paſſi ſumus. Sed reſpondeat, ſi poteſt, ſublimitas tua: ſi prohibebant induciæ animaduertere nos in Corſos contumaces noſtros; cur non ſaltem ad pontificem Romanum earum auctorem ita querelas detuliſti, ut uocaremur, et admiſſi noſtri rationem redderemus? cur ſemeſtris interualli; quod fœderi adiectum eſt; moram proferre nequiuiſti? Nimirum fecit nimia felicitas, ut fœdere, ac religione, Dei q́; uicario contemptis, omnia tibi licere arbitrareris. sed iam ad Turcarum pericula ueniendum eſt, quorum nos cauſam agere prædicas: nec pudet, Chriſtianum populum; cuius tu beneficio imperas; Italicos Turcas appellare. Nanq; ut omittamus quan[illegible], quam q́; præclaras res Genuenſis populus in Palæſtina geſſerit, cum ui, & armis Hieroſolymitanum regnum Chriſto reſtitutum eſt; quantas deinde, qu[illegible] ma-

gnificas cum partim tueri, & poſtremo amiſſum recupera-re oportuit; ut prætereamus etiam decenne bellum, quod pro defenſione orientalium Chriſtianorum contra Baiſitam huius Mahumeti proauum ſuſcepit, et ſtrenuiſſime adminiſtrauit; Dertuſa certe nobilis ciuitas, multaq; egregia oppida in ripa Iberi fluminis poſita, claſſibus noſtris expugnata, cæſis infi-delibus, uero cultui colla ſubmiſerunt. At q; ita in regnis tuis nondum pietatis noſtræ ueſtigia deleta ſunt. Nam quod in nos referre conatur ſublimitas tua, primum Turcarum ex Aſia in Europam tranſitum; apud doctos eius hiſtoriæ ridiculum eſt. Liquet enim cum duo Græcorum principes de Imperio conten-derent; alterum Conſtantinopoli eiectum ad Turcarum opem confugiſſe: pactaq; mercede Calipolim, arcemq; eius con-uentorum pignus Turcæ tradidiſſe: atq; ita multa eorum mil-lia ex Bithynia in Thraciam fuiſſe traiecta. Sed mauult, ſci-mus, excellentia tua de ea expeditione, quam in Turcas moli-ri tam diu prædicaſti, ſermonem haberi. Quocirca non nos fu-git iam prope triennio circumacto, pollicitam eſſe ſublimita-tem tuam claſſes, exercitusq;, quibus eorum ferociæ occur-reres, perfacile id ita fore nobis perſuaſum eſt. Nam quis eſt Chriſtianorum regum, quem propter uicinitatem ea magis pericula mouere debuerint? Claſſem ab Hydrunte mane ſol-uentem excipiunt ueſpere Turcarum littora clamoribus reſo-nantia. Aſtruebat promiſſæ expeditionis fidem, quod uide-bamus Siciliam, ac Sardiniam exactionibus aſſiduis exhauriri: reliquos populos inſolitis tributis oppreſſos: in ſacerdotes adeo acerbe ſæuiri, ut in comparationem reliquarum extortionum leuis uideretur decimarum præſtatio: famaq; fuerit, tantum pecuniam undiq; corraſum eſſe, quantum ipſam Charybdim

explere potuiſſet. Nos interim certa ſpe tuæ claſſis confirma-ti ſingulis annis, naues, uiros, arma, triticum Chriſtianis orientalibus ſuppeditare: ut'q; forti animo calamitates ſuas ferrent, literis, ac legationibus exhortari: breui affuturas uires opulentiſſimi regis: quæ Turcas trans Caucaſum trepi-dos fugent. Sed lenta fuit adeo hæc toties iactata expeditio, ut niſi nos non una, ſed pluribus claſſibus diſcrimini eorum ſubueniſſemus; deſerti, ac perditi, Turcarum fauces non effugiſſent. Circumſpiciat omnia nunc prudentia tua: ac iu-dicet, uter noſtrum Turcas foueat. Nos ne per quos multæ in-ſulæ, multi adhuc populi Chriſtum colunt? an is, qui tot floren-tibus regnis ſubnixus, collecto auro; quod in multas expeditio-nes ſatis eſſet; eos ſæuiſſimis hoſtibus prodit, pro quorum ſalu-collatum eſt? De ciuibus noſtris; quorum te charitate moueri dictitas; hoc ſibi perſuadeat maieſtas tua: illi quidem cum ſa-nam mentem reſumpſerint, redibunt in patriam, non tuis uiri-bus, ſed manſuetudine noſtra: præoptabunt'q; æquo iure cum ſuis agere, quam fidem tuam rurſum experiri. Bellum autem, & minas tuas eo accipimus animo, quo & reliqua geſſimus tecum bella: eo'q; maiore in Deum fiducia, quòd is nouit, uter noſtrum ius, fas, religionem, iuſiurandum, Chriſti uica-rium, ipſum'q; Deum, emiſſa in nos claſſe ſuperbe contempſe-rit. Reliqua epiſtolarum tuarum prætermittere, & modus epiſtolæ monet, & illud ſimul: ne quod diluendi criminis fa-cere neceſſitas iuſſit, maledicendi animo feciſſe uideremur. Genuæ. M.CCCCLVI. Die XV Septembris.

Petrus a. .ampoferrato dei gratia dux Genuenſis, &c. & officium Octobaliæ communis Genuæ.

FVIT profectò beatiſſime pater, & domine nobis colendiſſime, eſt'q; , atq; ,ut confidimus, erit, is animus, atq; ardor ſanctitatis tuæ aduerſus regem Turcarum; quem ſuis literis beatitudo tua ſæpe aliàs, & nunc quoq; noua epiſtola conteſtata eſt; adeo ut nullus tam abditus, tam'q; extremus tota Europa ſit angulus; ipſam licet Thulen interrogemus; qui neſciat reges, ac populos Chriſtianos crebris à beatitudine tua legationibus admonitos, excitatos'q; fuiſſe, arma capere, & ſæuientis hoſtis conatibus occurrere. Et quoniam non ſatis eſſet uerbis agere, adieciſſe mox ſanctitatem tuam his adhortationibus claſſem ſuam magna difficultate, nec leui ſumptu comparatam. Hæc, & huiuſmodi quia nota ſunt, & ſtudij tui magnitudinem ad defenſionem Chriſtianæ fidei late declarant; nihil minus conuenire intelligimus, quàm beatitudinem tuam ad id opus cohortari: quæ ita ſe ipſa cohortata eſt, ut cupiditati, & ardori eius nihil omnino poſſit accedere. Illud potius nos, reliquos'q; Chriſtianos deceret; niſi laudes humanas conſcientia tua contemneret; prædicare; atq; extollere hoc ſanctum propoſitum tuum: & bene monentem patrem filiali obedientia ſectari. Quod ad tollendas cum ſereniſſimo domino rege Aragonum diſcordias pertinet; ſcimus beatiſſime pater, id quod literæ tuæ loquuntur, ſanctitatem tuam impenſam, ac propè aſſiduam operam dediſſe: ut hoc præſertim tempore, quo aduerſus hoſtes Crucis arma uertend[illegible]ent, inter r[illegible]giam maieſtatem, & nos, belli cauſæ amouerentur. Id [illegible] quodam, ac ſingulari ſtudio ſanctitas tua cura-

uti, ferendo Chriſtianis orientalibus auxilio, ut expeditior eſſet uia; perſuademus tamen nobis acceſſiſſe huic ſanctæ cupiditati tuæ eam inſuper beneuolentiam, qua nos humanitas tua prono quodam amore ſemper complexa eſt: pro quo, ut ſæpe alias, ita ei nunc quoq; gratias agimus, & quidem ingentes, atq; immortales. Nos; ut probe nouit beatitudo tua; nunquam regiæ pacis conſilia contempſimus. Cuius rei ſi coràm Deo teſtes adducendi forent, tuam uel in primis conſcientiam percontandam nominaremus. Nunc uero cum ex literis ipſis cognouerimus, regium animum à pace non uideri alienum; & ob id ſanctitatem tuam cupere noſtrorum aliquem ad ſe mitti, quantum expediat, inſtructum; parandam duximus legationem; quæ ſanctitatis tuæ conſpectum petat: & quæ ob eam cauſam quæ fuerint agenda; ſedulo curet. Reliquum eſt ſupremam prudentiam tuam orare: exploret interim regium animum, ut quid facilitatis, quid difficultatis res habeat, ſuperuenientes legati noſtri cito intelligant. Longus enim eius pacis tractatus, ſi non conueniretur, uel hoc haberet in ſe mali; quòd ſi qui ſunt, qui in eam pacem rem ullam collocârint; re tentata, & infecta, ſpem omnem abijcerent poſſe ultra conueniri. Hæc hactenus. Nos autem, noſtraq; omnia humanitati tuæ ſupplices omni tempore commiſſa, commendataq; facimus.

Errata animaduerſione digna ſic Corrige.

Char. 2.	a.	diligendi,	deligendi.
12.	b.	argo.	agro.
12.	a.	exterriores,	exterritos.
13.	a.	Italicos,	Italos.
16.	a.	propriora,	propiora.
18.	a.	ſupicati,	ſuſpicati.
20.	b.	deſilentes,	deſilientes.
22.	a.	mille, te,	mille, &.
27.	b.	noſtis,	noctis.
28.	b.	uel altera;	uel ab altera.
31.	b.	tonitura,	tonitrua.
45.	a.	fouent,	fouet:
45.	a.	patrus,	patruus.
46.	b.	milleſimum quinquageſimum,	milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum.
50.	b.	ſiue ulla,	ſine ulla.
51.	b.	dictabant,	dictitabant.
54.	a.	totus demum,	totius demum.
54.	b.	ciuitate,	ciuilitate.
61.	a.	Nec mihi,	Nec eos mihi.
64.	b.	Hunc maritimi.	Huc maritimi
67.	a.	aſpernantur,	aſpernatur.
72.	a.	quorum ſalu,	quorum ſalute.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE